CONSTITUTIONES

CANONICORUM REGULARIUM

SSMI SALVATORIS

LATERANENSIUM

Digitized by Google

Digitized by Google

Palat. IX 20

Digitized by Google

Digitized by Google

56847 B

REGULA S. AUGUSTINI

ET

CONSTITUTIONES

CANONICORUM REGULARIUM SS. SALVATORIS

LATERANENSIUM

QUAS

SS. D. N. GREGORII PAPÆ XVI.

SUPREMA AUCTORITAS
CONFIRMAVIT



NAPOLI

ROMÆ
FORMIS SALVIUCCIANIS
MDCCCXLI.

Digitized by Google

NOS D. ALEXANDER GOZZI BONONIENSIS

SACRI ET APOSTOLICI ORDINIS

CANONICORUM REGULARIUM
SANCTISSIMI SALVATORIS LATERANENSIUM
ABBAS GENERALIS

Universis jurisdictioni et obedientiae nostrae subjectis salutem in Domino, qui est vera omnium salus.

Quod bonorum atque totius Congregationis nostrae votis jamdiu fuerat expetitum id ad optatum denique finem perductum esse in auctore omnis consolationis Domino gaudemus: absolutum nempe Constitutionum nostrarum opus, quae ex praescripto fel. rec. Pii VII. in decernenda unione geminae Congregationis Lateranensis et Rhenanae peropportuno delectu ac discrimine in unum corpus erant redigendae. Quod quidem cum multae rerum vicissitudines et difficultates antea prohibuerint, tum acerbissimus obitus insignis illius Praedecessoris nostri Pauli Del Signore, qui ingentes ad eam rem adjecerat animos, ulterius distulit. Vix autem Nos licet immerentes eximia Gregorii XVI. P. O. M. benignitate ad supremam totius Congregationis praefecturam evocati sumus, quidquid erat animi ac virium eo statim convertimus, reque una cum Definitoribus mature collata, operis initia posuimus quae ut felici progressu continuarentur, earundem Constitutionum articulos ad singulos Canonicarum praelatos ac praesides misimus, ut et ipsi et religiosi omnes diligenti animadversione omnia innotarent quae ad Dei gloriam, et

Congregationis utilitatem pertinere viderentur. Hasce vero Constitutiones subjiciendas censuimus reverendissimis Definitoribus iisdemque collegis nostris D. Alphonso Orsi Lucensi Ex-Generali, D. Antonio Valle Romano Abbati S. Petri ad Vincula, D. Aloisio Alegnini Abbati S. Paterniani Fanensis, D. Petro Renoli Abbati S. Mariae Portuensis Ravennae, D. Vincentio Tizzani Ecclesiasticae Historiae in Archigymnasio almae Urbis Doctore decuriali, Judici doctrinae Episcoporum probandae, et Congregationis Nostrae Vice-procuratori Generali, necnon et adm. Rev. D. Eugenio Vetromile Praesidi Canonicae S. Mariae ad Cryptam Puteolanam Neapolis, qui nobiscum Fanum convenere in *Dietam* ad S. Paterniani mense septembri superioris anni habitam. Ibi, numine Divini Spiritus exorato, cujus sapientia nobiscum esset, nobiscum laboraret (Sap. IX. 10.), pertinaci in multas quotidie horas et ad molestiam labore producto, magna articulorum omnium facta est conquisitio, magna animadversionum disceptatio, ratione habita earum quae utilitatem praeseferrent, illis autem rejectis, quae fallaces et superfluae communi judicio aestimarentur. Hinc factum est ut cunctis Definitorum sententiis illae comprobarentur Leges et Regulae, queis hoo nostrarum Constitutionum opus exurgit, et a SS. D. N. PP. Gregorio XVI. Eminentissimis S. E. R. Cardinalibus propositae, Apostolica deinde Auctoritate firmatae ac sancitae sunt.

En itaque vobis, dilectissimi in Domino, opus non mediocris sane consilii et industriae quod leges et regulas vitae duces ac moderatrices lucido etiam ordine complectitur. Nil novum prorsus atque insolens in eo offendetis cum omnia ex Constitutionibus Lateranensi et Rhenana conserta fuerint, idque benigne et quammaxime ad temporum rationem accommodate. Quarum observantia cum ex ipsa, qua Deo solemniter devoti estis, professione jure

Digitized by Google

optimo sit repetenda, hinc vos praecepta haec singula et constituta alacriter fideliterque expleturos esse confidimus, quibus licet lethali sub noxa haud detineamini, eorum tamen contemptus, voluntaria inobedientia et detrectatio gravis criminis notam minime effugiunt.

Codicem ergo Legum nostrarum pervolvite et pervolvendo altius mentibus infigite, sitque *lucerna pedibus, et lumen semitis vestris.* (Ps. CXVIII. 105.) Mementote vos *genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam* singulari quidem praeconio appellandos, at simul, (Apostolum sequimur) ut *virtutes annuncietis ejus* qui in tam *admirabile lumen* vos vocavit, (I. Pet. II. 9.) virtutes scilicet obedientiae, castimoniae et paupertatis ad quas luculentissima Christi Servatoris exempla nos, admotis veluti aculeis, concitare debent. Cavete imprimis, ne hodierna, quae societates quaslibet vel invasit vel corrupit, agendi cogitandique licentia, propositum vestrum pervertat, sed gaudentes quod fidelis Deus vocaverit vos *in societatem Filii ejus* (I. Cor. I. 9.) *magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* (II. Pet. I. 10.)

Nos interim dum totius Congregationis et nostrum incolumitatem et salutem precibus vestris vehementer commendamus, genua apud Servatorem sanctissimum submittentes enixe adprecamur, ut lumine claritatis suae mentes vestras illustret, igne amoris corda perurat, et qui dives est in misericordia plenitudinem benedictionum suarum in vos effundat, quam indesinenter licet indigne imploramus. In Nomine Pa✠tris et Fi✠lii et Spi✠ritus Sancti. Amen.

Datum Bononiae ex Nostra Canonica S. Salvatoris die Resurrectionis Dominicae III. Id. Aprilis Anni MDCCCXXXXI.

D. ALEXANDER GOZZI ABBAS GENERALIS

D. FRIGDIANUS BREGOLI Lector Philosophus
a Secretis Ordinis et Cancellarius

Digitized by Google

Digitized by Google

REGULA
BEATI AUGUSTINI
PATRIS NOSTRI

Ante omnia, fratres carissimi, diligatur Deus, deinde proximus: quia ista praecepta sunt principaliter nobis data. Haec sunt, quae, ut observetis, praecipimus in monasterio constituti. Primum, propter quod estis in unum congregati, uti unanimes habitetis in domo, et sit vobis cor unum, et anima una in Deo: et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia: et distribuatur unicuique vestrum a Praeposito vestro victus, et tegumentum, non aequaliter omnibus, quia non aequaliter valetis omnes: sed potius unicuique, sicut cuique opus fuerit: sic enim legitis in Actibus Apostolorum, quia erant illis omnia communia, et distribuebatur unicuique, sicut cuique opus erat. Qui aliquid habebant in saeculo, quando ingressi sunt monasterium, libenter velint illud esse commune: qui autem non habebant, non ea quaerant in monasterio, quae nec foris habere potuerunt: sed tamen eorum infirmitati, quod opus est,

Digitized by Google

tribuatur, etiam si pauperies eorum, quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat invenire: ac non ideo putent se esse felices, quia invenerunt victum, et tegumentum, quale foris invenire non potuerunt: nec erigant cervicem, quia sociantur eis, ad quos foris accedere non audebant: sed sursum cor habeant, et terrena vana non quaerant, ne incipiant monasteria esse divitibus utilia, non pauperibus, si divites illic humiliantur, et pauperes illic inflantur. Sed rursus etiam illi, qui aliquid esse videbantur in saeculo, non habeant fastidio fratres suos, qui ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt: magis autem studeant, non de parentum divitum dignitate, sed de pauperum fratrum societate gloriari: nec extollantur, si communi vitae de suis facultatibus aliquid contulerint: nec de suis divitiis magis superbiant, quia eas ipsi monasterio partiuntur, quam si eis in saeculo fruerentur: alia quippe quaecumque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant: superbia vero etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant. Et quid prodest dispergendo dare pauperibus, et pauperem fieri? cum anima misera superbior efficiatur divitias contemnendo, quam fuerat possidendo? Omnes ergo unanimiter et concorditer vivite: et honorate in vobis invicem Deum, cujus templa facti estis. Orationibus instate horis, et temporibus constitutis. In Oratorio ne-

Digitized by Google

mo aliquid agat, nisi ad quod est factum, unde et nomen accepit: ut, si forte aliqui, practer horas constitutas, si eis vacat, orare voluerint, non eis sint impedimento, qui ibi aliquid agere voluerint. Psalmis, et hymnis, cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in voce: et nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum: quod autem non ita scriptum est, ut cantetur, non cantetur. Carnem vestram domate jejuniis, et abstinentia escae, et potus, quantum valetudo permittit: quando autem aliquis non potest jejunare, non tamen extra horam prandii aliquid alimentorum sumat, nisi cum aegrotat. Cum acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu, et contentionibus audite: nec solae vobis fauces sumant cibum, sed et aures percipiant Dei verbum. Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine, si aliter tractantur in victu, non debet aliis molestum esse, nec injustum videri eis, quos fecit alia consuetudo fortiores: nec illos feliciores putent, quia sumunt, quod non sumunt ipsi: sed sibi potius gratulentur, quia valent, quod non valent illi. Et, si eis, qui venerunt ex moribus delicatioribus ad monasterium, aliquid alimentorum, vestimentorum, stramentorum, operimentorum datur, quod aliis fortioribus, et ideo felicioribus non datur, cogitare debent, quibus non datur,

quantum de sua saeculari vita illi ad istam descenderint, quamvis usque ad aliorum, qui sunt corpore fortiores, frugalitatem pervenire nequiverint: nec illi debent conturbari, quod eos vident amplius (non quia honorantur, sed quia tolerantur) accipere, ne contingat detestanda perversitas, ut in monasterio, ubi, quantum possunt, fiunt divites laboriosi, fiant pauperes delicati. Sane, quemadmodum aegrotantes necesse habent minus accipere, ne graventur: ita post aegritudinem sic tractandi sunt, ut citius recreentur, etiam si de humillima saeculi paupertate venerint, tamquam hoc illis contulerit recentior aegritudo, quod divitibus anterior consuetudo: sed, cum vires pristinas reparaverint, redeant ad feliciorem consuetudinem suam: quae famulos Dei tanto amplius decet, quanto minus indigent: nec cibi eos teneat voluptas jam vegetatos, quos necessitas levarat infirmos: illos sane existiment ditiores, qui fuerint in sustinenda parcitate fortiores: melius est enim minus egere, quam plus habere. Non sit notabilis habitus vester: nec affectetis vestibus placere, sed moribus. Quando proceditis, simul ambulate: cum veneritis, quo itis, simul state. In incessu, in statu, in habitu, in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat adspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. Oculi vestri, etsi jaciuntur in aliquam feminam, figantur in nullam:

Digitized by Google

neque enim, quando proceditis, feminas videre prohibemini: sed appetere, aut ab ipsis appeti velle, criminosum est: nec solo tacito affectu, sed adspectu quoque, appetitur, et appetit concupiscentia feminarum: nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius: et, cum se invicem sibi, etiam tacente lingua, conspectu mutuo, corda nuntiant impudica, et secundum concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus: nec putare debet, qui in feminam figit oculum, et illius in seipsum diligit fixum, non ab aliis videri, cum hoc facit, videtur omnino, et a quibus videri non arbitratur. Sed, etsi lateat, et a nemine hominum videatur: quid faciet de illo superno inspectore, quem latere nihil potest? an ideo putandus est non videre, quia tanto videt patientius, quanto sapientius? Illi ergo timeat vir sanctus displicere, ne velit feminae male placere: illum cogitet omnia videre, ne velit feminam male videre: illius namque, et in hac causa, commendandus est timor, ubi scriptum est, Abominatio est Domino defigens oculum. Quando ergo simul estis in Ecclesia, et ubicumque feminae sunt, invicem vestram pudicitiam custodite. Deus enim, qui habitat in vobis, etiam isto modo vos custodiet ex vobis. Et, si hanc,

de qua loquor, oculorum petulantiam in aliquo vestrum adverteritis, statim admonete, ne male coepta progrediantur, sed de proximo corrigantur. Si autem, et post admonitionem, iterum, vel alio quocumque die idipsum eum facere videritis, jam velut vulneratum sanandum prodat, quicumque invenire potuit; hoc, prius tamen alteri, vel tertio demonstratum: ut duorum, vel trium possit ore convinci, et competenti severitate coerceri: nec vos judicetis esse malevolos, quando hoc indicatis: magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari, dum timeret secari, non ne crudeliter abs te sileretur, et misericorditer indicaretur? Quanto ergo potius eum debes manifestare, ne perniciosius putrescat in corde? Sed, antequam aliis demonstretur, per quos convincendus est, si negaverit, prius Praeposito debet ostendi, si admonitus neglexerit corrigi; ne forte possit secretius correctus non innotescere ceteris: si autem negaverit, tunc neganti adhibendi sunt alii, ut etiam coram omnibus possit non ab uno teste argui, sed a duobus, tribusve convinci: convictus vero, secundum Praepositi, vel etiam Presbyteri, ad cujus dispensationem pertinet, arbitrium debet emendatoriam sustinere vindictam: quam si ferre recusa-

Digitized by Google

verit, etiam si ipse non abscesserit, de vestra societate projiciatur: non enim et hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat. Et hoc, quod dixi de oculo non figendo, etiam in ceteris inveniendis, prohibendis, indicandis, convincendis, judicandisque peccatis, diligenter, et fideliter observetur, cum dilectione hominum, et odio vitiorum. Quicumque autem in tantum progressus fuerit malum, ut occulte ab aliquo litteras, vel quodlibet munus accipiat, si hoc ultro confiteatur, parcatur illi, et oretur pro eo: si autem deprehenditur, atque convincitur, secundum arbitrium Praepositi, vel Presbyteri, gravius emendetur. Vestes vestras in uno loco habete sub uno custode, vel duobus, vel quot sufficere potuerint ad eas excutiendas, ne a tinea laedantur: et, sicut pascimini ex uno cellario, sic induamini ex uno vestiario: et, si fieri potest, non ad vos pertineat, quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur: utrum hoc recipiat unusquisque vestrum, quod deposuerat: an aliud, quod alter habuerat: dum tamen unicuique, prout cuique opus est, non negetur. Si autem hinc inter vos contentiones, et murmura oriuntur, et conqueritur aliquis deterius aliquid se accepisse, quam prius habuerat, et indignum se, qui non ita vestiatur, sicut alius frater ejus vestiebatur: hinc vos probate, quantum vobis desit in illo interiore

Digitized by Google

sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis. Tamen, si vestra toleratur infirmitas, ut hoc recipiatis, quod posueratis, in uno tamen loco sub communibus custodibus habete, quod ponitis: ita sane, ut nullus sibi aliquid operetur, sive unde induatur, sive ubi jaceat: sed omnia opera vestra in commune fiant majore studio, et frequentiori alacritate, quam si vobis singulis propria faceretis. Caritas enim, de qua scriptum est, quod non quaerit, quae sua sunt, sic intelligitur, quia communia propriis, non propria communibus anteponit. Et ideo, quanto amplius rem communem, quam propriam, curaveritis, tanto amplius vos profecisse noveritis, ut in omnibus, quibus utitur transitura necessitas, superemineat, quae permanet, caritas. Consequens ergo est, ut etiam illud, quod suis, vel filiis, vel aliqua necessitudine ad se pertinentibus in monasterio constitutis, aliquis, vel aliqua contulerit, sive vestem, sive quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occulte accipiatur, sed sit in potestate Praepositi, ut in commune redactum, cum necessarium fuerit, praebeatur. Quod si aliquis rem sibi collatam celaverit, furti judicio condemnetur. Indumenta vestra secundum arbitrium Praepositi laventur sive a vobis, sive a fullonibus, ne interiores animae sordes contrahat mundae vestis nimius appetitus. Lavacrum etiam corporum, cum infirmitatis cogit ne-

cessitas, minime denegetur: fiat sine murmure de consilio medici, ita ut, etiam si nolit, jubente Praeposito, faciat, quod faciendum est pro salute: si autem velit, et forte non expedit, suae cupiditati non obediatur: aliquando enim, etiam si noceat, prodesse creditur, quod delectat. Denique, si latens est dolor in corpore, famulo Dei dicenti, quid sibi doleat, sine dubitatione credatur: sed tamen utrum illi sanando dolori, quod delectat, expediat, si non est certum, medicus consulatur. Nec eant ad balnea, sive quocumque ire necesse fuerit, minus, quam duo, vel tres: nec ille, qui habet aliquo eundi necessitatem, cum quibus ipse voluerit, sed cum quibus Praepositus jusserit, ire debebit. Aegrotantium cura, sive post aegritudinem reficiendorum, sive aliqua imbecillitate etiam, sive febribus laborantium, alicui debet injungi, ut ipse de cellario petat, quod cuique opus esse prospexerit. Sive qui cellario, sive qui codicibus praeponuntur, sine murmure serviant fratribus suis. Codices certa hora singulis diebus petantur: extra horam qui petierint, non accipiant. Vestimenta vero, et calceamenta, quando fuerint indigenti necessaria, dare non differant, sub quorum custodia sunt, quae poscuntur. Lites aut nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis, ne ira crescat in odium, et trabem faciat de festuca, et animam faciat homicidam: sic enim legitis, Qui

Digitized by Google

odit fratrem suum, homicida est. Quicumque convicio, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu, alterum laeserit, meminerit satisfactione quanto ocyus curare quod fecit: et ille, qui laesus est, sine disceptatione dimittere. Si autem invicem se laeserint, invicem sibi debita relaxare debebunt propter orationes vestras, quas utique, quanto crebriores habetis, tanto sanctiores habere debetis. Melior est enim, qui, quamvis ira saepe tentatur, tamen impetrare festinat, ut sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit injuriam, quam qui tardius irascitur, et ad veniam petendam difficilius inclinatur. Qui non vult dimittere fratri, non speret accipere orationis effectum: qui autem numquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, sine causa est in monasterio, etiam si non inde projiciatur. Proinde vobis a verbis durioribus parcite: quae si emissa fuerint de ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, ex quo facta sunt vulnera. Quando autem necessitas disciplinae in moribus coercendis dicere vos verba dura compellit, si etiam ipsi modum vos excessisse sentitis, non a vobis exigitur, ut ab eis veniam postuletis, ne apud eos, quos oportet esse subjectos, dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui novit etiam eos, quos plus justo forte corripitis, quanta benevolentia dili-

gatis: non autem carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio. Praeposito, tamquam patri, obediatur, multo magis Presbytero, qui omnium vestrum curam gerit. Ut ergo cuncta ista serventur, et, si quid servatum minus fuerit, non negligenter praetereatur, sed emendandum, corrigendumque curetur, ad Praepositum praecipue pertinet: ita, ut ad Presbyterum, qui vobis intendit, referat, quod modum, vel vires ejus excedit. Ipse vero non se existimet potestate dominante, sed caritate serviente, felicem: honore coram hominibus praelatus sit vobis, coram Deo substratus sit pedibus vestris, circa omnes seipsum bonorum operum praebeat exemplum, corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes, disciplinam libens habeat, metuendus imponat: et, quamvis utrumque sit necessarium, tamen plus a vobis amari appetat, quam timeri, semper cogitans Deo se pro vobis redditurum esse rationem: unde magis obediendo, non solum vestri, sed etiam ipsius, misereminí, qui inter vos, quanto in loco superiore, tanto in periculo majori versatur. Donet Dominus, ut observetis haec omnia cum dilectione, tamquam spiritualis pulchritudinis amatores, et bono Christi odore de bona conversatione fragrantes, non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti. Ut autem in hoc libello, tamquam in

Digitized by Google

speculo, vos possitis inspicere, ne per oblivionem aliquid negligatis, semel in septimana vobis legatur: et, ubi vos inveneritis ea, quae scripta sunt, facientes, agite gratias Domino, bonorum omnium largitori: ubi autem sibi quicumque vestrum viderit aliquid deesse, doleat de praeterito, caveat de futuro, orans, ut et debitum dimittatur, et in tentationem non inducatur.



Digitized by Google

CONSTITUTIONES

CANONICORUM REGULARIUM

SS. SALVATORIS LATERANENSIUM

Digitized by Google

CONSTITUTIONES

CANONICORUM REGULARIUM

SS. SALVATORIS LATERANENSIUM

Antiquissimum ac celeberrimum Canonicorum RR. Institutum, quod a primaevis Ecclesiae saeculis sanctitate atque doctrina eminuit, hujus saeculi initio miserrima temporum conversione et iniquitate eo deductum est, ut non labefactatum modo sed pene extinctum videretur. Hoc respexit, hoc in vitam revocavit optime de Ecclesia de ecclesiasticis viris promeritus sempiternae memoriae Pontifex Pius VII. qui duas ex pluribus in Italia superstites Canonicorum RR. Congregationes in unam coalescere jussit, quo factum est ut Canonicorum RR. Societas vigeat adhuc et valeat. Ut autem tanti Pontificis consilium executioni mandaretur, quidquid negotii id erat, sapientissimi Cardinalis Pacca judicio prudentiae et doctrinae commissum est, qui Pontificio obsequutus imperio, coactis in unum primoribus Congregationis utriusque Praelatis, rem totam egregio hoc decreto censuit conficiendam.

DECRETUM

Editum ab Eminentissimo ac Reverendissimo Domino Cardinali Pacca Pontificia Auctoritate Praeside in Dieta Congregationis Sanctissimi Salvatoris Lateranensis habita Romae die 26. Maii anno 1823. in Bibliotheca S. Petri ad Vincula Urbis.

Digitized by Google

Bartholomaeus Miseratione Divina Episcopus Portuensis, ac S. Rufinae, S. R. E. Card. Pacca, Dietae Canonicorum RR. Ordinis S. Augustini Congregationis Sanctissimi Salvatoris Lateranensis Praeses a Sanctissimo Domino Nostro Papa Pio VII. delegatus, omnibus, et singulis Abbatibus, Superioribus, Canonicis, et Fratribus dictae Congregationis salutem in Domino sempiternam.

Cum Sanctissimus Dominus Noster vehementer probaverit egregiam voluntatem ac studiorum conspirationem, qua Canonici RR. tum SS. Salvatoris, tum Lateranenses invicem necti atque in unum quasi corpus conjungi postularunt; iccirco anno millesimo octingentesimo decimo nono, per Rescriptum S. C. negotiis Episcoporum ac Regularium praepositae editum die sexta Augusti, conditiones ac pacta quaedam inter Canonicos utriusque Congregationis inita adprobavit, ac per Apostolicam Delegationem facultatem tribuit Reverendissimo Patri Abbati Domno Vincentio Garofali Superiori Generali Congregationis Rhenanae ut geminas Congregationes inter sese conjungeret = sub obedientia subjectione ac dependentia P. Abbatis Superioris Generalis Congregationis SS. Salvatoris apud Sanctam Sedem existentis. = Jam vero Pontificis Maximi jussa facturus laudatus P. Abbas Neapolim se contulit, ac rem praestitit diligenter, atque in Canonica Cryptopedana, quae Lateranensibus pridem patebat, unionis solemnia miro animorum gaudio peracta sunt. Verum quum Summus Pontifex in superiore memorato Rescripto perfectionem unionis, curamque redigendi opportuno cum delectu ac temperatione unum in corpus utriusque Congregationis leges aliud in tempus distulerit, nempe = ad primum Capitulum vel Dietam ex auctoritate Apostolica convocandam, cum interventu Abbatum utriusque Congregationis, = Sanctissimus, ne Canonicae nimis impensarum onere gravarentur, jussit,

ut quae in generali Comitio tractanda essent in Dieta tractarentur, cui tres e Regno Neapolitano tres item e Ditione Romana Abbates interessent.

Itaque, datis ad Nos Apostolicis literis in forma Brevis sub die decima octava Martii millesimo octingentesimo vigesimo tertio, et Dietam celebrari praescripsit, et Nos pro sua benignitate ejusdem Dietae Praesidem nominavit atque constituit, auctoritateque Apostolica communivit hujusmodi Praesidibus conferri solita cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis, quae ad firmam geminae Congregationis unionem rectumque regimen Societatis Canonicorum conferrent, non obstantibus Constitutionibus, et Sanctionibus Apostolicis, et geminae Congregationis etiam juramento, vel quavis firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Igitur Praesidentibus Nobis congregata Dieta die vigesima sexta Maji hujus Anni millesimi octingentesimi vigesimi tertii in insigni Bibliotheca S. Petri ad Vincula, primum quidem actum de iis est, quae ad Comitia rite ordinanda necessaria visa sunt.

Deinde Reverendissimus P. Abbas Superior Generalis rogavit Nos, ac Reverendissimos Definitores, ut sibi gubernandae administrandaeque Congregationis tempus circumscriberetur; et cum Patres Reverendissimi cupere se declarassent, ut vel perpetuo dum viveret, vel multos saltem ad annos Generale gubernium retineret, Nosque impense eorum sententiam probaremus, intercessit ipse affirmans quod minus aequum videretur precipuum Ordinis onus suis humeris imponi, nec aditum ad honores currentibus intercludendum. Itaque Patres pro veteri more Generalem ipsum Ordinis ad sexennium salutarunt; quibus ille annuens, facultatem sibi reservavit abdicandae post triennium dignitatis. Postea ventum ad discutiendos propositos utrinque nonnullos articulos, super

quibus facili negotio junctis studiis, animisque concordibus Reverendissimi Suffragatores in unam eamdemque sententiam concesserunt, atque e duobus Ordinibus Divino Salvatori dicatis inter seseque affinibus unum unis legibus magna cum animorum voluptate firmatum Ordinem declararunt.

Articulorum vero summa haec est: ac primum constare, atque in honore habenda esse pacta ac conditiones quae in Rescripto diei sextae Augusti anni 1819. memoratae, atque auctoritate Apostolica roboratae sunt, praecipue vero nuncupationem Ordinis per haec verba, nempe Canonicorum Regularium Sanctissimi Salvatoris Lateranensium; Privilegia, Indulta, favores cujusvis generis ab Apostolica Sede cuique antea Congregationis impertitos, uni nunc Ordini coadditos communesque factos: Titulares Abbates deinceps minime creandos: aere alieno, quo pridem Congregatio Lateranensis premebatur, novos ejusdem census obstringi non posse: neque vero labefactari eodem posse Congregationis Rhenanae bona, cujus vicissim aes publicum alienum Lateranensibus adtributos, adtribuendosque census afficiet minime.

Ad haec: unum indumentorum genus a Canonicis deferendum, scapulari in ipsa hujusmodi articulorum promulgatione dimisso, maxime cum antiquis Rhenanis ignotum fuerit, ac sequioribus dumtaxat saeculis nonnullorum devotione in Rhenanum Coetum inductum; nec retinere expediat, quod amoveri rectus ordo, et communis charitas efflagitat. Contra placere (quod in Rescripto paulo ante commemorato statutum fuit) ut Conversi seu Commissi, sive Oblati, quos Fratres ob fraternam dilectionem vocamus, non Lateranensi more sed Rhenano, indumentis nigri coloris laneis utantur; et cum dubitatum a nonnullis fuerit, expedire ne magis videatur, Fratres professos hujusmodi antiquis albis vestibus uti, hujus rei

deliberationem ad proxime consequentem Dietam esse referendam. Placere item, ut Canonici intra septa Canonicarum cum non utantur Cappis, deferre possint Epitogia, seu Clamydes nigri ooloris easque laneas, tum quod usu primum receptae fuerint a Rhenanis, tum quod id genus superindumenti iis congruat religiosis viris qui vere Regulares cum sint, vere item portio sunt Cleri saecularis.

Constitutum praeterea fuit, ut posthac in actu professionis usurpetur Canonicorum Lateranensium formula, quae quod pressius Rhenana complectitur, declarat explicatius, omitti tamen posse illa verba: *Quod nunquam absque licentia Capituli Generalis* et in obsequium Constitutionis s. m. Benedicti XIV. super capacitate Canonicorum Regularium ad beneficia saecularia.

Ut vero Canonici unanimes atque uno ore Deum colant, unoque ordine Divinis operentur Officiis Calendarium esse unum e duobus conficiendum, quod ineunte anno millesimo octingentesimo vigesimo quarto usui apud Nos futurum sit.

Praeterea Missarum Sacrificia in Ecclesiis Ordinis a Canonicis celebranda, nec nisi perraro a Praelatis committendum ut ad alias se conferant Ecclesias sacrificaturi. Non tamen cogendos esse nostros Canonicos, ut subeant Missarum onera, nisi sexaginta (praeter ea, quae Constitutionibus praescribuntur) ab unoquoque pro impositis Ecclesiae propriae oneribus celebrandarum.

Placere etiam dixerunt, ut Lectores, Concionatores Verbi Dei, Magistri Novitiorum, juxta Constitutiones Lateranenses, atque Innocentii XIII. Decretum, ad Praelaturas promoveri possint; perspectum enim est per hanc viam rationemque bene de Ordine meritis aequabiliorem ad honores patere aditum; neo tamen Praelatorum numerum plus justo augeri, cum Superiore Decreto cautum sit, ne deinceps Praelati Titulares umquam creen-

tur. Parochis vero, qui jndicio Reverendissimi Definitorii landabiliter suo munere functi sint, ad honores pateat aditus juxta Rhenanas Constitutiones.

Sancte etiam retinenda Nationum jura, tum ob consuetudinem a Congregatione Rhenana observatam, tum ob praescripta cap. 1. Constitutionum Lateranensium. Diserte tamen declaratum jus Praelaturarum, ac Guberniorum cnjuscumque Canonicae sancte reservandum, adscribendumque esse Nationalibus earumdem Canonicarum, inviolate quoque atque integre servanda esse bona singnlis Canonicis adtributa; Religiosos vero ex una ad alteram Canonicam nti Nationalem transilire non posse, nisi accedente Capitulari utrinsque Canonicae consensu, eoque Reverendissimi Definitorii auctoritate firmato.

Congregationem in quatuor esse Provincias dividendam; quarum una Canonicas Romanas, et S. Mariae Gratiarum M. Soractis complectatur, altera quae Canonicas in Regno Neapolitano positas, tertia quae Canonicas Eugubinam Fanensem Urbevetanam Urbinatem, quarta quae Bononiensem Lucensem Genuensem et Ferrariensem, cujus recuperandae spes est, comprehendat.

Qnod si aliae praeterea Canonicae quae temporum injuria deciderunt Deo dante redintegrabuntur, pro opportunitate locorum et ipsae distribuentnr. Cuique vero Provinciarum per vices Dignitates Ordinis esse adtribuendas, habita quoad fieri licuerit ratione Canonicarum quae majoribus pro sustentando Ordine gravantur oneribus, atque luculentioribns erga ipsnm meritis distinguuntur; qua de re diligenter ac pro aequitate in prima celebranda Dieta tractabitur.

Non obstare praeterea quominus Visitatores, ac Definitores Canonicae gubernium rectionemque suscipiant, juxta etiam indulgentissimum Urbani VIII. Decretum pro Lateranensibus latum.

Digitized by Google

Si infra triennium Praelatus aliquis gubernii officio fungens e vita decesserit, vel alia de causa ab suo munere cessaverit, Abbatem Generalem in ejus locum constituere posse Vicarium, qui vices exerceat Praelati ejusdem usque ad Dietam, seu Capitulum proxime habendum.

In iis quae ad victum pertinent ad vestitum, ad suscipienda itinera jussu Ordinis, Rhenanum morem, consuetudinesque retinendas.

Provisiones Procurationi Generali, ao Reverendissimo Definitorio debitas, juxta RR. Pontificum Decreta et utriusque Congregationis leges, pro viribus ac per aes et libram erogandas: servandas vero penes Canonicarum Superiores arbitrio Reverendissimi Definitorii Ordinis.

Si quis Religiosus ex una ad aliam Canonicam diverterit non jussu Ordinis, sed vel animi recreandi vel valetudinis tutandae causa vel ob aliam rationem a Praesule Generali probandam, post triduum tantum pecuniae pro tempore ac modo hospitii eidem Canonicae persolvet quantum Superiorum judicio aestimabitur.

Cum vero Summus Pontifex in laudatis literis Apostolicis ad nos datis jusserit, ut in hisce Comitiis leges geminae Congregationis opportuno cum delectu ac temperatione in unum corpus redigerentur, perpendentibus Reverendissimis Definitoribus utramque Constitutionem ex antiqua Portuensi quasi ex uno fonte manasse, tum recogitantibus per praesentes articulos rite observandos satis provisum esse delectui ac temperationi praeceptae; reliquas vero leges, demptis quae pro temporis conditione demenda sunt, ita communes esse geminae Congregationi, ut redactione sequuta in unum corpus, easdem suas esse, vel suis simillimas Lateranensis aeque atque Rhenanus affirmaturus sit, propterea communi consilio ac voluntate Definitoribus visum est decernere, ut per duos tresve idoneos Canonicos Constitutionum liber bre-

Digitized by Google

viori quo liceat curriculo temporis adornetur, qui probatus a sexviris Comitialibus, et a Nobis, adprobandus Summo Pontifici humillime ut par est exhibeatur. Interea vero tempore quaevis Canonica suas Constitutiones et landabiles consuetudines quae his articulis non opponuntur, observabit.

Ad extremum Reverendissimi Definitores primam futnram Dietam in Canonica Neapolitana Pediscryptae Dominica III. post Pascha anno 1826. Deo favente, celebrandam indixerunt, consequentibus per Provinciarum vices locum habituris.

Itaque anctoritate Apostolica per memoratas paulo ante Literas nobis impertita, cum certo Nobis constet, omnes et singulos Definitores tum Romanae, tum Neapolitanae Ditionis ad Comitia vocatos, prae oculis habentes Ordinis sui incrementum ac decns, ao praecipne uberrimos pietatis, ac disciplinae fructus, quos idem Ordo percepturus sit, propositos articulos mira consiliorum ao voluntatum concordia adprobasse, adeoque e gemina Congregatione unam Sanctissimi Salvatoris Lateranensem unis Legibus firmatam constare; idcirco Nos eamdem unionem peractam, perfectamque declaramus, omnesque et singulos articulos a Nobis relatos adprobamus ao confirmamus, eosdemque ab omnibus Praelatis Canonicis Conversis seu Commissis vel Oblatis et quibusvis personis Ordinis, quocumque nomine vel etiam dignitate insignitis, statim a promulgatione praesentis Decreti, integre inviolateque observari in virtnte S. obedientiae praecipimus atque mandamus, servatis in reliquis quae hnjusmodi articulis non opponuntur Constitutionibus utriusqne Congregationis, donec in unum corpus utriusque leges redigantur, quae probatae primum a sexviris, atque a Nobis, Summo Pontifici humillime ut par est pro sna sapientia adprobandae exhibeantur, Constitutionibus, et

Sanctionibus Apostolicis, ac geminae Congregationis etiam juramento, et confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis et consuetudinibus caeterisque contrariis non obstantibus.

Ut autem nullus hujusce Decreti ignorantiam allegare valeat, mandamus item ut eodem in acta Definitorii redacto, per epistolas circulares Reverendissimi P. Abbatis Generalis ejusdem Decreti exemplar omnibus Abbatibus Gubernii aliisque Superioribus geminae Congregationis transmittatur, committendo ut idem Decretum primo post acceptas epistolas festo die coactis Religiosis ad Conventuale Capitulum promulgetur, et idem Abbas Generalis omnimodis accurate ejusdem observantiae incumbat.

Datum Romae ex Nostris Ædibus die 28. Junii anno millesimo octingentesimo vigesimo tertio.

B. Cardinalis Pacca Dietae Praeses.

Praeclarum sane Decretum tantique viri sapientia dignissimum! Quo una ex duabus conserta Societas, una coaluit Congregatio. Plausit reviviscens Canonicorum Ordo plausere viri nostrae Congregationis praestantissimi: optimus ipse Pontifex faustis felicibus auspiciis arrisit. Sed quoniam inter Unionis conditiones a Cardinali inclyto propositas ea potissima est, ut communes geminae Congregationis Leges atque Constitutiones redigantur; id nitimur ut exequamur.

Digitized by Google

PROLOGUS *

Cum sacrosancta mater Ecclesia multis sit vivendi decorata generibus, quibus juxta regium prophetam tamquam regina *circumamicta varietate* depingitur (Ps. XLIV. 25.) maximum certe ejusdem religio est ornamentum, atque inter omnes ad unum verum et solum Deum tendendi et proficiendi modos ipsa praeclarum obtinet principatum. Quippe ipsa religio est vitae sanctitas sanctimoniae disciplina morum regula norma perfectionis charitatis schola via justitiae lex puritatis atque optima omnium magistra virtutum.

Ipsa est consors angelorum Dei disciplina coelorum scala paradisus omnium deliciarum; de ipsa non absurde intelligere possit quisque quod in principio Geneseos legimus: Plantaverat, inquit, Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat. (Gen. II. 8.) Sane religionem appellamus paradisum voluptatis, ibi namque exuberant omnium suavitatum amoenitates; ibi sunt omnium bonorum generum ligna pomifera. In medio ejus lignum est vitae, de quo qui comederit vivet in aeternum. Profecto Jesus est vita, cui qui adhaeserit immortalitatem percipiet beatae vitae: insuper et ibi indeficientium aquarum fluvius oritur, de quo qui biberit non sitiet unquam, sed juxta Evangelium: *Fiet in eo fons aquae vivae salientis in vitam aeternam.* (Joan. IV. 14.) Porro ipse fluvius Spiritus Sanctus nuncu-

* Venerandae antiquitati studentes prologum hunc sacra plerumque dictione concinnatum, et qui veterum Patrum suavitatem spirat libenter retulimus ex codice membranaceo Constitutionum CC. RR. LL. qui primum ad Laterani, deinde ad S. P. ad Vincula adservatur.

patur, cujus tanta est dulcedo atque suavitas, ut mira quadam ebrietate animos suorum repleat amatorum, de ipso enim canit sacra scriptura: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos.* (Ps. XXXIII. 9.) Denique in hoc tam voluptuoso et amaenissimo loco positus primus homo designatur, ut intelligamus in ipso initio temporis religionem suum exordium praesignasse. Et utinam bonum conditus homo servasset! boni obedientia praeceptoris utique habitasset in pace super terram, et morte non mulctaretur ad poenam! At vero ejus expulsio dignaque retributio nobis proficiat ad perseverantiae documentum. Hujus itaque religionis laus nullo sermone clauditur, nulla ut dignum est explicatur eloquentia. Jesus Christus qui novi testamenti est mediator verus, istius religionis exstitit optimus institutor. Hanc ipse dedicavit, hanc discipulos congregans auctoritate sui nominis consecravit. Praeterea ipsum dicentem audivimus: *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum ego sum.* (Matt. XVIII. 20) O benevolentia conditoris! o dignatio majestatis! Promittit se ipse Salvator illis in socium donaturum, quos ejus fides et charitas in unum copulaverint habitationis locum. Equidem si illic se consortem pollicetur Dominus ubi convivunt paucissimi numero, quid arbitremur ubi plurimorum copiositas ad ipsum colendum laudandum serviendumque convertitur. His addendum est quantum hoc genus vivendi prorsus sanctissimum atque suavissimum est; neque enim erravit qui dixit: *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum.* (Ps. CXXXII. 1) Profecto bonum profecto jucundum, ubi una bonitas et una jucunditas invenitur in singulis. Siquidem religio divinum quoddam est foedus, quo electorum animae reconciliantur Deo. Ipsa est militiae campus, ubi sanctorum agmina adversus potestates tenebrarum idest pessimorum daemonum in bellum pro-

Google

cessura confoederantur in Domino. Haec unicuique conditum fructum affert opportunum, si suscipit peccatores constituit justos. Si autem justos invenerit, ad perfectionem adducit. Omnes sinu latissimae gestat charitatis. Demum ipsa est omnium donorum ac charismatum Dei copiosissima comparatrix. Est enim gratiae alumna pudicitiae decus obedientiae domicilium thalamus castitatis paupertatis amica auriga discretionis modestiae genitrix et divinae contemplationis ascensus. Hanc quicumque amaverit et cum in sponsam adduxerit, percipiet ab ea diadema decoris, et aeternao beatitudinis consequetur gloriam. Denique de paradiso legimus in divinis historiis fluvium egredi affluentissimum, qui *in quatuor capita dividebatur.* (Gen. II. 10.) Non abs re arbitremur de paradisi alveo quatuor effluxisse capita. Nam praeter quatuor notissimos illos sacrae scripturae sensus, historicum misticum tropologicum et anagogicum, qui ex una manant facie litterae, praeter quatuor Evangelistarum nomina qui ex uno fonte sapientiae potaverant, intelligamus etiam ex una christiana religione, quasi ex unica fontis vena quatuor profluxisse regulas principales, quibus quasi fluminibus quatuor universa irrigatur et faecundatur Ecclesiae omnis terra. Eae sunt Basilii, Augustini, Benedicti et Francisci, sanctorum et orthodoxorum patrum optimae sanctiones atque catholica constituta. Hi perfecti viri ac omnino caelestes Divino afflati Spiritu tantam meruerant percipere gratiae plenitudinem, ut de supernis fontibus quos hauserunt, possent omnium electorum corda inebriare.

Qui etsi diverso eorum regulas scripserint stylo, non tamen alio spiritu vol diversa fide aut dissona charitate, communis quippe in eis est gratia atque sanctitatis imago. Hoc vero quadripartitum regularum genus difficile est per singula prosequi ac particulatim definire. Esset enim id infiniti negocii et ad propositum non spe-

ctantis. Ad secundam id est beati Augustini regulam accedere nunc satis necessarium duximus. Ipsa est qnae instituit clericos, qui vulgato jam nomine canonici regulares appellantur. Legimus enim in antiquis approbatisque scripturis hunc gloriosissimum virum cum ad sacerdotii apicem elatus esset, hnjusce vivendi morem canonica constructa et in scriptis redegisse et servandum tradidisse discipulis et fratribus suis. Haec est illa regula toto orbe famosissima, quae continenti pontificum romanorum usque ad Nos serie ab omni Ecclesia approbata atque commendata est. Quam etsi plerique religiosi nostrorum temporum propter ejus dignitatem et mnltiformem honestatem in suas assumpserint professiones, proprie tamen hanc veluti matrem atque parentem sibi vindicant canonici regulares; eis namque illam tamquam vivendi magistram beatissimus contulit Angustinus; hanc profitemur, in hac militamus, hanc Deo propitio cupimus quicumque in monasterio regulari canonice vivimus. At quoniam hujus sanctissimi patris regula multa brevitate conscripta est atque obscuritate non minime involvitur, quae simpliciores quosque saepissime latet, operae pretium duximus et necessarium quasdam inferius leges et suaves addere institutiones; ordinemque vivendi, quo facilins atque perfectius vota nostra, quae in praedicta promisimus regula persolvamus.»

Hic autem libellus ad temporum rationem omnino accomodatus quatuor constabit partibus: prima de institutione vitae et observantia regulari; secunda de canonicarum regimine, atque potestate rectorum; tertia de poenis vario criminum generi constitntis; quarta vero et ultima de capitulis et de his quae ad ipsa spectant. Quae omnia etsi magnum tractatum desiderent, tamen ne nimia prolixitate fastidium legentibus ingerant, quam dilucide breviterque poterimus singula diligenter explanare curabimus.

CONSTITUTIONES

CANONICORUM REGULARIUM

SS. SALVATORIS LATERANENSIUM

PARS PRIOR

DE INSTITUTIONE VITAE, ET OBSERVANTIA REGULARI.

CAPUT I.

De unitate totius Congregationis.

Quicumque, Deo optimo ac Salvatore nostro Jesu Christo largiente, in sacrum hunc apostolicumque ordinem canonicorum regularium d. patris Augustini congregationis sanctissimi Salvatoris Lateranensis sumus cooptati, ante omnia ipsius congregationis unitatem totis viribus et ex animo nobis servandam proponamus, prout in principio regulae nostrae scriptum est, ut propter quod in unum sumus in monasterio congregati sit nobis cor unum et anima una, et non dicamus aliquid proprium sed sint nobis omnia communia. Procul itaque a nobis permolestum illud *Meum* ac *Tuum*, et quidquid est privatae affectionis et exceptionis, simultatum proinde et contentionum propago et fomes: unde nullus contra nostram regulam et professionem aliquid *suum* affirmare audeat.

Multitudo autem, vel divisio canonicarum congregationis non tollunt unitatem, quin potius corpus unum pulcherrimum pluribus insignitum membris constituunt.

Digitized by Google

Quilibet etiam in ea canonica censeatur professus, et de illius existimetur gremio, cui legitime fuerit per suos superiores deputatus, quamvis alibi professionem emiserit, qua nos non alicui particulari canonicae, sed toti congregationi obligamur, sicuti in forma ejusdem professionis apparet, et prout in privilegio nobis per Martinum v. R. P. concesso aperte ostenditur. Meminerint canonici nostri, plurima ordinum omnium collegia, quae privata studia et incrementa communibus antetulerunt miserrime imminuta fuisse et prolapsa eaque tantummodo servata atque aucta quae congregationis unitatem fideliter retinuerunt.

CAPUT II.

De regula et constitutionibus, et earum frequenti lectione et meditatione.

Quoniam duplici quidem, sed non inani appellatione *canonici regulares* nuncupamur, regulam vitae canonicae tamquam ipsius speculum ante oculos mentis nobis proponere, ac diutius meditari debemus. Quapropter eadem regula (sicut etiam in ipsa praecipitur) semel saltem in hebdomada coram omnibus canonicis conventualiter congregatis legatur, id autem sexta feria tempore communis refectionis, nisi festum obsit, fieri omnino debebit. Si autem sexta feria festum solemne occurrat, in prandio vigiliae ejusdem festi legenda erit; quae si uno prandio minime expleri poterit, quod reliquum erit prandio altero subsequatur. Et hanc constitutionem, in omnibus nostris canonicis praecipimus observari. Patres visitatores tempore visitationum de illius observantia diligenter inquirant, et praelati qui eam non observaverint

vel inobservantes non corrigant, priventur voce activa et passiva per tres menses, juxta sententiam visitatoris.

Quaecumque in ipsa regula votorum observantiam respiciunt, absque ulla prorsus dispensatione inviolabiliter servanda erunt; in reliquis Praelati prout charitas et ratio postulabit cum subditis se gerent.

Studebunt etiam praesules canonicarum, ipsas ordinis nostri constitutiones tum in primis observare tum ut a subditis serventur impense procurare.

Quae ut faoilius ad singulorum notitiam deveniant, praecipimus ut qualibet die sabbati, festo solemni non impedito, tempore communis refectionis legatur aliquid de libro praesentium constitutionum, qnem librum praelati in suis canoniois habere teneantur, et patribus visitatoribus, tempore visitationum una cnm ipsa regula exhibere.

In omnibus autem nostris constitutionibus, ubi per summos pontifices vel sacros canones culpa vel poena spiritalis adjuncta non est, nos illarum transgressores ad culpam sive spiritalem poenam numquam intendimus obligare, sicut etiam in privilegio Martini papae v. nobis concesso cavetur. Nullus tamen contemptu illas transgredi andeat quia tunc non solum poenae temporali sed cnlpae et poenae spirituali, juxta communem doctorum sententiam, obnoxius censendus erit.

CAPUT III.

De habitu Canonicorum.

Quemadmodum in unius regulae observantiam, ita in unum eumdemque habitum studeant omnes nostri ordinis canonici convenire. Est autem proprius et essentialis noster habitus tunica linea aut ex tela vulgo mus-

solo confecta, sive superpelliceum quod *rochetum* vulgo appellatur. Rochetum canonicorum omnium sive subditorum sive etiam praelatorum sit uniforme videlicet ex linea tela vel ex tela *mussolo* satis subtili cum manicis mediocriter longis et amplis, ejusque longitudo ea sit ut extenso brachio pulsum pertingat. Rochetum textile *pinnatum* circa collum et circa pulsum tantum habeat quod non excedat medietatem unius circiter pollicis. In ecclesia vero diebus sollemnioribus supra rochetum imponatur amictus linteus vulgo *cotta*, modeste crispatus, cujus textile *pinnatum* non excedat duos pollices, et ita longus sit hic amictus linteus ut brevior rocheto saltem per medium palmum appareat. Deferant etiam canonici nostri sub rocheto tunicam albam usque ad talos ex laneo vulgo *scotto*. Indusium autem lineum sit vel ex tela vulgo *mussolo*, et calcei sint coriacei nigri modestaeque formae. Caligae semper albae deferantur. Presbyteri aliquando possint eas deferre nigras exceptis publicis functionibus. Ferant canonici nostri *birretum* clericale nigrum, juxta formam *birreti* clericorum saecularium quod tamen sit modestum et apud omnes uniforme. Collare sit vesti uniforme. Chirothecae hyemali tantum tempore deferri possint et simplices modestique coloris. Annulos in digitis omnino interdicimus, excipe abbates quibus jus est *abbatialem* eundemque permodestum deferre. Cum ipsi canonici e Canonica egredientur super tunicam vulgo *rocchetto* palliolum nigrum talaria pertingens a parte anteriori apertum, semper induere debebunt; excipe parochos intra jurisdictionis fines. Quod quidem pallium laneum erit vel ex laneo *scotto* pro anni tempestatibus, nullimode autem alterius materiae coloris et formae. Penulas sive *mantella* extra Canonicam omnino prohibemus cum in hyeme palliolum laneum possit deferri; excipe viatores aeconomos et procuratores canonicarum parochos et alios

Digitized by Google

quos e claustris per nivem etiam aut pluviam evocari oportebit, cum quibus praelati tunc dispensare poterunt, vera tantum necessitate spectata; et excipe eos canonicos iis in civitatibus degentes in quibus pallioli supradicti forma nimiam excitaret admirationem hyemis tempore. Pileum similiter deferant nigrum, formae autem quae religiosos deceat, ad instar clericorum saecularium sed sine floccis seu appendicibus et zonis, exceptis abbatibus. Si contingat nostros canonicos equitare aut alio modo a monasteriis longe proficisci, eorum habitus erit modestus ad instar clericorum saecularium, ita ut vel collare album deferatur vel rochetum sub collo paulisper appareat, sed modeste et absque textili *pinnato*, quod rochetum erit duorum palmorum super unum a parte tantum anterioris. Domi vero canonici nostri deferre poterunt tunicam vulgo *sottana* nigram ex *scotto* vel ex *panno* prout tempora expostulant cum ingeminatis manicis et almutia perbrevi, ita tamen ut omnia tunicae adhaereant, quod canonicis professis sacerdotibus dumtaxat conceditur.

Ceteris simplex sit tunica. Nemo autem nigra veste sacramenta ministret nisi et *rochetum* desuper ponat. In hyeme super tunicam domi tantum poterunt deferri mantella nigri coloris et modestae formae. Sit canonicis nostris chorum adeundi facultas cum tunica nigra et superpelliceo exceptis diebus festis tum universae ecclesiae tum nostri ordinis. Fibulas deferant argenteas et simplices, idque semper tum domi tum foris. Atque ut canonici qui conciones in templis ad populum habent habitu uniformes appareant, praecipimus ne ullus praedicator publicas unquam conciones ad populos habeat nisi ad superpelliceum accedat amictus lintens vulgo *cotta*. Tunicam autem semper albam deferant in concionibus. In viis si contigerit conciones haberi, prae-

Digitized by Google

dicent cum cappa nigra. In templo *birretum* clericale numquam desit. Praelati in canonica suae jurisdictionis dum habitu *abatiali* incedunt, deferant solam almutiam, in aliis Canonicis vero si fuerint, praeter almutiam deferant palliolum vulgo *mantelletta*, ne rochetum jurisdictionis indicium videatur et crucem sub *mantelletta* gerant, dum eam foris proferant si in jurisdictione sint. Ubi abbas generalis fuerit, abbates solam almutiam nullo pacto deferant et crucem tegant nisi aliter quoad crucem videbitur abbati generali cui tantum sit jus et crucem foris habere, et sola uti almutia ut mos est in romana curia, nec non caudam deferre prout praelatus apostolicus sicut Alexander VII. eum vocat.

Nulla necessitatibus lex; quicumque alterius generis aut coloris aut formae aut materiae indumentis usus fuerit, sive intus sive extra claustra sive iter agendo sive concionando a superiore puniatur. Praelati qui harum constitutionum neglectum aut contemptum minime animadverterint a visitatoribus ipsi corripiantur.

CAPUT IV.

De habitu fratrum commissorum et oblatorum in canonica manentium.

Habitus fratrum commissorum nostrae congregationis erit primo tunica lanea, vel ex laneo *scotto* nigra semper, longitudinis usque ad mediam tibiam ante professionem non majoris neque minoris, cingulo coriaceo nigro et humili succincta omnibus uniformi altitudinis unius pollicis, cui adhaereat zona ex *rascia* nigri coloris in parte laeva in longum pertensa, si frater commissus solemnem professionem jam emiserit, quam zonam numquam dimittant. Femoralia ac tibialia sint la-

Digitized by Google

nea vel linea et nigri coloris omnia. Calceos vero coriaceos nigros ferre debebunt absque fibulis sed nexu pelleo illigatos. In capite habeant domi non *birretum* ad instar clericorum sed pileolum laneum depressum et rotundum quod aures apprime tangat. Collare fratrum commissorum laneum vel ex scotto albo cooperiatur, nec unquam sit lineum vel ex tela *mussolo*. Domo egredientes pileum nigrum clericale deferant sed humile, pallium ferant laneum vel ex *rascia* sive *scotto* juxta tempora ut dictum est pro canonicis, sed longum et nigrum. Chirothecas ipsis interdicimus, sed praelatus in necessitatibus poterit dispensare. Habitus oblatorum in canonicis nostris degentium sit idem ac fratrum commissorum, excepta ea zona ex *scotto* vel ex rascia, quam deferent tantum professi. In officiis exercendis tam domi quam foris nunquam amittant tunicam, excipe eos qui in agris fuerint vel in iis saepe saepius versentur. Praelati arbitrio sint poenae contra transgressores.

CAPUT V.

De tonsura clericali.

Congruis diebus omnes canonici nostri pariterque novitii tondeantur, sitque eorum tonsura illius latitudinis quae unius cujuscumque ordinis gradui convenit. Nec tanto temporis spatio tonderi differant ut tonsura quae apparere debet occultetur. Caveant omnes a studiosa qualibet capillorum compositione omnique cultu. Barbae etiam tonsio eo modo fiat qui religiosos viros decet, non quo, profanos ac saeculares homines sequi videamur. Conversi et oblati quoad capillorum et barbae tonsuram, eamdem constitutionem inviolabiliter observent, excepta corona clericali qua omnino carent.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De studio perfectionis et cura interioris hominis.

Cum juxta sententiam d. Thomae communi doctorum consensu probatam religiosus ad perfectionem contendere teneatur, omnes qui in sancta congregatione vitam regularem professi sumus, alacri constantique animo eniti debemus ut nihil perfectionis in nobis desideretur quod in congregatione, Deo opitulante, consequi possimus, accurata absolutaque non solum votorum, sed etiam omnium nostrae congregationis constitutionum diligentia atque observantia.

Itaque praelati canonicarum in unumquemque eorum fidei commissum sedulo vigilare debebunt, ut dignoscere valeant, an et quantum quisque in semitis Dei proficiat. Desides, verbo et exemplo ad virtutem ad perfectionem excitabunt hoc pro certo habentes, omnium subditorum culpas sibi imputandas et animarum illis commissarum, arctissimam rationem se esse reddituros. Quisque apud se recogitet in studio interioris hominis et in perfecta virtutum consecutione, religiosam perfectionem magisquam in doctrina vel aliis ornamentis atque praesidiis esse statuendam.

Licet regularis, probabili doctorum sententia non ita teneatur ad perfectionem contendere, ut aliquid eorum praetermittens quae cadunt sub consilio, vel quae per ordinis constitutiones jubentur, (iis exceptis quae in votorum observantiam versantur) mortale peccatum peccet, quisque tamen pro certo habeat illius salutem qui diu vivens in congregatione non proficit et saeculari consuetudine omnino non exuitur in magnam suspicionem aut discrimen forsan devenisse, ut sancti patres unanimi consensione fatentur.

CAPUT VII.

De voluntatis abnegatione et perfecta obedientia.

Quamvis votis omnibus observandis et virtutibus adipiscendis nobis studendum sit; virtuti tamen obedientiae quae *melior est quam victima* (Eccl. IV. 17.) ejusque voto custodiendo majorem in modum est advigilandum. Quilibet ergo in nostra congregatione suis superioribus, non solum in iis ad quae ex praecepto seu voto tenetur, sed etiam in aliis cunctis libenter obedire studeat, iisdem liberam rerum suarum suique ipsius etiam dispositionem et copiam relinquens. Nec tantum in externa executione omnium quae illi a praelato injungentur sine haesitantia aut murmuratione sit obediens, sed cum vera intimaque humilitate, licet difficilia et sensui repugnantia illi praecipiantur, propriam voluntatem propriumque judicium abneget superiorisque nutum et mandatum, ubi peccatum non appareat, veluti normam sibi constituat. Quascumque sive per ordinis constitutionem sive per praelatum sibi injunctas paenitentias unusquisque alacri deditoque animo persolvat, non illas modo quae defectus negligentiasque culpabiles consequentur, sed quas aut nulla aut levissima dumtaxat culpa ad animi humiliationem ipsi imponi contigerit. Nullus cum ex obedientia ad aliquod officium assumetur, ullo pacto resistere audeat, sed superiorum voluntati ex animo pareat, quod ni fecerit, officiis omnibus et gradibus privetur, et reverendissimi abbatis generalis arbitrio justae disciplinae subjaceat, donec ad officium redigatur. Qui suis praelatis veram obedientiam ex animo exhibere recusaverint, non solum ad habitum nostrae congregationis admittendi non erunt, sed etiam recepti ubi secundo et tertio admoniti contumaces fuerint, aut custodiae tradantur aut tamquam morbidae pecudes de

nostra societate projiciantnr. Sciant omnes professi quo crimine teneantur inobedientes apud Deum, cui praelatisque illius vicariis submissionem perpetuam omnino ac sollemniter promiserunt.

CAPUT VIII.

De affectu proprietatis abdicando et communi vita servanda.

Apostolicam illam in communi absque proprio vivendi rationem quam ad altare Domini in professione solemniter voverunt canonici nostri atque conversi, ardenter diligenterque sectari contendant sibi denunciata ad paupertatis studium fovendum Evangelii verba perpendentes assidue: *Omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quae possidet non potest meus esse discipulus.* (Matt. XIX. 29.) Cum vero congregatio nostra communem vitam servandam praecipiat, non autem commnnem vitam nt ajnnt *perfectam,* ideo quilibet poterit annuos percipere redditus vulgo *livello,* ita tamen ut hosce in manus depositarii canonicae statim resignet, et illud tantum ex iis habere poterit, quod praelatus canonicae permiserit. Neque etiam extra canonicam apud quemlibet deponat pecunias vestes libros aut alind quodcumque, nec aliquid vendat donet mutuet vel alio modo distrahere audeat, absque expressa licentia praelati, et si quid fuerit magni pretii, sine expressa licentia praelati et discretorum canonicae fieri nequeat. Nullus bona immobilia vel mobilia pecunias proventus census eleemosynas sive ex concionibus sive ex lectionibus sive ex missis celebrandis sive alio quocumque nomine etiam si subsidia consanguineorum sint, tamquam propria aut etiam canonicae nomine retinere possit. Eorum vero quae necessitati concedantur nullus quid-

quam ut proprium possideat, neque ut proprio utatur. Non liceat etiam superioribus alicui bona stabilia ad usum fructum vel usnm| vel administrationem aut *commendam* aut etiam depositi vel custodiae nomine indulgere absque licentia capituli conventualis. Omnis religiosus vel professus vel non professns teneatur tradere in capsam quidquid pecuniae illius usui fuerit a praelato concessum, nec apud se plusquam decem scutata romana retinere poterit, praehabita autem facultate a praelato qui ultra eam summam ad retinendum concedere nequeat. Pecunia deposita sit semper in citata capsa, quae trinas habeat diversas claves quarnm alteram praelatus retineat, alteram depositarius, tertiam primus e discretis. Praelati canonicarum bis saltem in anno videlicet ineunte anno et in vigilia s. Augustini, subditos suos capitulariter congregatos moneant sub poena excommunicationis, ne aliquid pecunia aestimabile, quamvis minimum occultare audeant, sed omnia fideliter et distincte ipsis revelare debeant. Initio anni canonici omnes et conversi professi teneantur sub poena excommunicationis incurrenda statim post januarinm, exhibere praelato canonicae notulam rerum omnium, quae usui data cujusque generis et speciei fuerint. Haec notula sub nomine *sproprio* vulgo venit, eoque nomine praelato consignetur. Omnes de familia canonicae consignabnnt *sproprium* proprio praelato. Praelati visitatoribus provinciae, visitatores abbati generali, abbas generalis procuratori generali, procurator generalis abbati generali. Quilibet vix professus, post triduum nisi *sproprium* dederit incurrat excommunicationem. Qnotannis renovetur ubi opus fuerit, secus declaretur nihil esse innovandum. Juxta ordinem expositum facultates expetendae sunt retinendi vel utendi pecunia aliisque rebus. Ne subditi autem necessariis destituantur, prohibemus stricteque interdicimus praelatis canonicarum deposita-

riis et discretis ne depositas pecunias in alios usos, quam canonicis et conversis utiles ac necessarias ullo modo convertant seu implicent aliaque observanda erunt quae in capite de depositariis admonebimus. Praelati qui hanc constitutionem de depositis ipsi in primis non observaverint (qui teneantur aeque ac subditi in communem capsam pecunias deponere) et a subditis observari non fecerint, suspendantur a praelaturis ipso facto per annum, et canonicae regimen statim vicarius assumat.

CAPUT IX.

De castitate et sensuum custodia.

In religiosis omnibus effulgere debet tum animae tum corporis munditia eaque incorruptio quae hominem *facit esse proximum Deo* (Sap. VI. 20.) ut angelicam puritatem si non penitus aequare, aliqua saltem ex parte aemulari videatur. Cum autem ad interiorem animae candorem tuendum externorum sensuum custodia firmissimum praesidium dignoscatur, unusquisque nostrum, majori qua potest diligentia, sensuum suorum sed maxime oculorum aurium ac linguae fores custodire conetur.

Quilibet ab illicitis otiosisque locutionibus et scurrili confabulatione abstineat; turpiloquia nec nominentur in nobis sicut decet sanctos; libri obscaeni aut amatorii et lascivientes, sive typis excussi sive manu scripti, quorum lectione proculdubio animi moresque depravantur, nostris omnibus perpetuo interdicantur. Praelati cellas subditorum saepius visitando, indicis pontificii regulas et praesentes constitutiones respiciant; neque subditis libros hujusmodi inquinatos, gratia etiam cultioris linguae ullo modo permittant.

Quicumque impudicos libros, obscaena et amatoria

continentes, aut cantilenas aut epigrammata et quae vulgari idiomate *sonetti* et *madrigali* nuncupantur, turpia aut voluptuaria composuisse deprehensus fuerit, severe puniatur juxta regulas indicis librorum prohibitorum; et eodem modo puniantur tenentes (quod absit) inhonestas imagines aut quidquid aliud impudicum et inverecundum appareat. In ecclesia et in via et ubicumque faeminae fuerint, quisque oculos demissos et castigatos gerat, prout in regula admonemur. Curiosos et procaces praelati corripiant etiam publice, si publice delinquere non erubuerint.

CAPUT X.

De officio Ecclesiae.

Totum officium diurnum pariter et nocturnum *sacrificium laudis* Deo immolandum (Ps. XLIX. 14.) secundum morem et consuetudinem romanae curiae in ecclesia cantando vel legendo pro tempore graviter devoteque recitetur. In officiis omnibus et missis rubricae breviarii missalis caeremonialis directorii romani et calendariorum praeter ea quae ab abbatibus vel superioribus locorum annuatim emitti debeant, accurate serventur. In festivitatibus celebrandis quoad numerum solemnitatum et officium ipsorum festorum, servetur modus et ordo qui est in calendario romano praescriptus. Declaramus tamen ac volumus, ut ubique locorum per universam congregationem nostram, fiat officium omninm eorum sanctorum quorum nomine consecratas canonicarum nostrarum ecclesias habemus, quod quidem a s. rituum congregatione die 22. decembris 1622. peculiari privilegio concessum nobis est. Item volumus ut officia fiant propria canonicorum regularium sanctissimi Salvatoris lateranensis Urbini edita anno 1829. et Romae anno 1839. Festivitates

Digitized by Google

vero congregationis nostrae propriae celebrentur modo nobis praescripto a fel. mem. Gregorio XIII. ut scilicet quae sunt in calendario serventur ut in breviario romano, quae sunt propria congregationis nostrae serventur in congregatione ut antea secundum formam breviarii, quae non sunt licet antea fuerint in breviario nihili fiant, nisi sint in aliquo particulari loco sanctorum corpora vel reliquiae insignes.

Porro festum s. Augustini legiferi nostri majori qua fieri poterit devotione et solemnitate celebretur. Fiat illius proprium officium ipsa die et per totam octavam juxta apostolica privilegia nobis impertita. (a Pio V.) In conversione vero et in utraque translatione ejusdem officium in ecclesiis nostris ubique celebretur ut in nostro Proprio illis notatur diebus. Quod servari debet etiam quoad officia quae apud basilicam lateranensem celebrantur idque ex privilegiis nobis concessis. Festa insuper quae in quibusdam civitatibus et locis solemnia habentur, ab illis tantummodo canonicis nostris celebranda erunt, qui in hujusmodi civitatibus et locis commorantur juxta decreta s. r. c. Nullus igitur canonicorum nostrorum gradus cujuscumque vel conditionis, praeter hujusmodi adnotata de aliquo alio festo officium facere seu celebrare praesumat. De horis vero quod ad tempus attinet, idest quando matutinum et caeterae horae recitandae sint, ille servetur modus et ordo qui pro varia constitutione locorum et canonicorum ibidem degentium utilitate a quolibet praelato in sua canonica indictus fuerit; qui modus et ordo in sacrario (*la sagrestia*) tabella apposita proponentur. Ita autem res procedere debeat. Quibus horis ad divina officia recitanda in ecclesiam convenire oportet nonnullis campanae ictibus ecclesiae signum detur omnibus canonicis jam prope esse eorum conventum ad ecclesiam. Hinc canonici nostri omnes haud cunctanter post

primum signum quod fit diebus ferialibus et festis non duplicibus, in duplicibus vero post secundum, venire in templum ad officium ne differant, ut divinis interim laudibus persolvendis animus praeparetur. Genuflexi suis in loculis orantes mentem colligant, corda sursum elevent, neque solum labia, verum et multo magis corda mundissima ipsi creatori offerant; caveant ne hoc in eos cadat: *populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* In missis solemnibus laudabilis propriae ecclesiae consuetudo servetur: missae vero privatae si conventuales fuerint quae quotidie celebrabuntur post horam tertiam, in choro persolventur. Si vero non fuerint conventuales, tunc vel ante horam chori vel post chorum erunt celebrandae, ita nt nemini liceat quacumque dignitate et privilegio praeditus sacrum facere in ecclesia tempore chori; cum pariter prohibeamus sacras exaudiri confessiones eo tempore quo canonici nostri et fratres commissi mentali vacant orationi nisi excuset necessitas. Nullus itaque cujuscumque privilegii vel auctoritatis gratia ab officio chori immunis censeatur, nisi operam debito muneri actu impendat, vel suffragante peculiari et aperta superioris aut generalis licentia, gravissimis sane momentis indulgenda, in quibus vel res differri nullatenus possit, absque maximo canonicorum incommodo aut canonicae detrimento. Quapropter quicumque in choro non affuerit antequam in principio horarum canonicarum dictum sit *Alleluja* vel pro tempore *Laus tibi Domine* vel quando iis in principio officii non utitur ecclesia ante primum psalmum inceptum, stet inclinatus ante altare, si canonicus in sacris constitutus: secus, flexis genibus usque ad signum majoris in choro sedentis. Quae inclinationis forma semper et ubique, itinere excepto, ubi officium in communi dicatur similiter ab omnibus observetur, quique ex levi causa ab officio recedere nequeant. Si autem cau-

sa urgente aliquem e choro exire oportuerit, ad altare majus accedat, adhibitaque reverentia, vertens se e regione inclinatus signum praelati seu majoris in choro sedentis submisse expectet. Prostrationes similiter genuflexiones et inclinationes integre observentur in missa, prout citantur a rubrica missalis; in choro autem juxta caeremoniale ordinis, ita ut omnia uniformiter fiant ab omnibus ut qui corde et habitu debent esse similes, ita et in iis prorsus conformes appareant.

Nullus antem canonicorum nostrorum extra loca et ecclesias nostras ad funera aut festivitates seu aliorum officia concelebranda se conferat. Attamen communi custodiendae charitati permittimus, ut accedere possint ad sollemnia et funebria illorum religiosorum qui ad eadem nostra conveniunt. Ad solemnitates vero a piis saecularium sodalitiis institutas invitati accedere nequeant sine expressa praelati licentia.

Canonici ecclesiam primum ingressi accepta aqua benedicta coram sanctissimae Eucharistiae sacramento genuflectentes, venerabundi illud recolant. Facta brevi oratione, cum silentio surgentes chorum adeant ad propria loca ibique expectent, donec per majorem in choro divini officii initium praesignetur; hebdomadario vero officium incipiente, assurgant omnes illudque attente devoteque recitabunt, servatis in omnibus curiae romanae ritibus ut supra dictum est etiam in sedendo et in assurgendo; et in unaquaque canonica idem ritus nullo discrimine adhibito integre perficiatur. Uniformitas tandem in caeteris etiam appareat. Quolibet anno calendarium pro missis et officiis praelatus canonicae vel componat vel componendum curet. Qui eodem negligenter caruerit vel ritum alium, ordinem, aliasque caeremonias divino officio vel missis celebrandis in suis ecclesiis permiserit, praeter ritum ab hisce constitutionibus proposi-

Digitized by Google

tum, privetur voce activa et passiva ipso facto ad annum. Officium recitetur elata claraque voce, ita autem distincte aequabiliter et leniter ut enunciationes singulae facile ab omnibus intelligantur; fiat in medio cujuslibet versiculi conveniens pausa sive morula, nec desinens versiculorum syllaba longius protrahatur. Nec in monosyllabis aut graecis verbis et haebraicis vocis inflexio aut elevatio fiat: minores majoribus aures praebeant et illos sequantur. Si quis in choro vel canendo vel psallendo vel legendo erraverit, digitum terrae admovens, indicio culpae, veniam humiliter petat si non sacerdos fuerit, si vero sacerdos, tunc pectus tangat. Illud cantetur in choro quod laudabilis postulat locorum consuetudo; quapropter teneantur praelati tabellam perpetuam efformare ibique adnotentur dies in quibus officium divinum et missa cantu persolventur tum partes divini officii cum cantu recitandi signentur. Tabella in sacrario *(sacristia)* apposita omnibus pateat. Dum horae matutinae et vespertinae recitabuntur, candelae duo in altare vel quatuor aut plures juxta diei solemnitatem eluceant. Ad officium vicarii spectabit curare, ne a supradictis omnibus quae divini officii celebrationem respicinnt latum quidem unguem discedatur. Qui justa de causa divinis officiis in choro recitandis minime poternnt interesse, extra chorum opportuno tempore officium ipsum integre et attente recitent: cum non solum canonici in sacris constituti sed alii etiam omnes clerici nostrae congregationis professi ratione canonicae et beneficiorum quae licet in communi, vere tamen sicut clerici alii beneficiati obtinemus, sub poena peccati lethalis ad divinum officium quotidie integreque recitandum obligentur. Commissorum fratrum qui et professi, haec proprii officii erunt: pro matutino triginta *Pater noster,* cum totidem *ave Maria,* pro vesperis *quindecim,* pro qualibet aliarum quinque ho-

Digitized by Google

rarum canonicarum *septem;* pro benedictione mensae *unum,* post comestionem gratias agendo *tria,* totaliter 84. Poenae in delinquentes arbitrio superioris erunt.

Concedimus insuper canonicis nostris ut ad funera *parochianorum* tantum nostrorum conveniant, dummodo ii in tumulis aut caemeteriis nostrae congregationis sepeliantur. Quando vero ad aliorum ecclesias aut caemeteria efferuntur, illuc adeat nemo, et solus parochus hoc in casu possit se se cadaveri comitem praebere, eaque persolvere quae sunt juxta ritum a romana Ecclesia praescriptum. Vetustissima congregationis nostrae consuetudo ubique retineatur, ut die qualibet post completorium, litaniae in honorem b. M. virginis ab omnibus canonicis et conversis in choro *conventualiter* congregatis et genuflexis devote recitentur, et, ubi mos obtinet, singulis sabbatis cantentur cum oratione b. V. pro congregatione aliisque consuetis. Hoc demum firmum apud omnes in congregatione nostra fixumque sit, beatissimam Virginem praecipuam esse congregationis nostrae tutricem, ideoque omnem illius cultui cogitationem atque operam esse impendendam. Cum juxta apostolica privilegia Eugenii IV. Sixti IV. canonici universi congregationis nostrae canonici vere sint sacrosanctae patriarchalis Lateranensis ecclesiae, et nostra congregatio *sanctissimi Salvatoris Lateranensis congregatio* appelletur, statuimus ut quod a majoribus nostris hucusque traditum exstat, festum dedicationis ejusdem basilicae Salvatoris Lateranensis, die mensis novembris nona in tota congregatione sub ritu dupl. primae classis cum sua octava celebretur.

Ubi commemorationes et suffragia occurrant, ritus adhibeatur et modus in officiis propriis canonicorum regg. praescriptus, juxta editiones supradictas; in caeteris nihil de locorum consuetudine detrahatur. Abbates et canonici in solemnitatibus extra modum sumptu et magnificen-

tia nullatenus prodeant. Quoad reliqua inspiciantur capita de peculiaribus officiis ministrorum canonicae de quibus in posterum. In omnibus tandem quae ad officium et ritus ecclesiae referuntur *caeremoniale* nostri ordinis consulatur.

CAPUT XI.

De assiduitate orationis et meditationis.

Quia *multum valet deprecatio justi assidua* (Jac. V. 16.) *et in meditatione exardescet ignis* (Ps. XXXVIII. 4.) ad regularem ideo perfectionem assequendam fovendamque nil praestantius nil accomodatius quam frequens orationis ac meditationis exercitatio a nobis commendatur. Propterea omnes congregationis nostrae non solum canonici, verum etiam conversi, ad praescriptum regulae, statis quotidie horis orationi instare debebunt. Canonici praeter divina officia quae vel in choro, vel legitimo impedimento, extra chorum quotidie recitare tenentur, sciant se ad preces Deo pro suis, deinde pro totius populi peccatis offerendas semper obligari. Conversi et oblati, qui divino officio minime tenentur, ejus loco singulis diebus eas preces recitabunt, de quibus superiori capite actum est. Singulis autem diebus missae sacrificio intererunt. Canonioi omnes et conversi quotidie in ecclesia vel in oratorio simul congregati per horae saltem dimidium mentali orationi et meditationi vacent. In qualibet canonica singulis diebus a fratribus commissis et laicis etiam qui nobis famulantnr, recitetur tertia pars rosarii in communi, et a praelatis vel vicarius vel sacerdos alius idoneus deputetur, qui semel saltem in hebdomada eosdem ad christianam doctrinam informet.

CAPUT XII.

De confessione fratrum et sacra communione.

Quandoquidem *si confiteamur peccata nostra fidelis est et justus* (Deus) *ut remittat nobis peccata nostra et emundet nos ab omni iniquitate* (1. Joan. I. 9.), idcirco fratres nostri omnes tam canonici sive clerici, quam laici studeant semel saltem in qualibet hebdomada peccata *sacramentaliter* confiteri: sacerdotes vero saepius prout frequens missarum celebratio requirit. Meminerint decreti s. concilii tridentini, quo cavetur ne quis sibi lethalis peccati conscius quantumcumque sibi contritus videatur absque sacramentali confessione ad eucharistiam, judicium manducaturus, accedere audeat, quod a christianis omnibus et ab iis sacerdotibus quibus ex officio celebrare incumbit, s. synodus, cum adsit confessoris copia, servandum esse decrevit. Quod si necessitate imperante sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quamprimum poterit, confiteatur. Nullus autem canonicorum nostrorum tam in canonica quam extra absque licentia suorum praelatorum canonicorum ac fratrum suorum confessiones exaudire praesumat. Si cui autem hujusmodi confessiones excipere a suo praelato conceditur, in hujusmodi ministerio auctoritate utatur quam ei praelatus impertierit. Caveat autem praelatus ne casus aliquos sibi reservet quos reservari vetat Clemens VIII. in const. quae incipit *Sanctissimus D. N. qui pridem etc.* cujus constitutionibus ipse obsequatur et ab omnibus obsequendum jubeat.

Certus ideo statuatur a quolibet praelato numerus sacerdotum qui subditorum confessionibus excipiendis satis sint, iidemque pietate prudentia doctrina charitateque spectandi. Nullus sacerdos confessiones etiam eorum qui

sunt de corpore congregationis nostrae audire praesumat, nisi ex peculiari licentia sui prelati, et in articulo mortis, cum desint confessarii jam a praelato deputati. Cum aliquis autem ex nostris de loco ad locum mittetur, illis tantum sacerdotibus nostris poterit confiteri, quibus praelatus ante discessum dederit facultatem. Praelati omnes quem maluerint, ex canonicis suis sibi confessarium deligere possint. Praelati nomine, abbas intelligitur et praeses vel superior aut prior, dummodo et praeses et superior et prior canonicae actu praesint. Iter agentes ubi sacri faciendi, vel sanctissimae eucharistiae percipiendae causa confiteri velint et sacerdotes nostri ordinis desiderentur cuivis sacerdoti per Ordinarium adprobato possint confiteri. Extra hunc casum nullus canonicorum et fratrum ex nostra congregatione alicui sacerdoti qui non sit de gremio nostrae congregationis confiteatur; alias vere absolutus non evadat. Excipe casus impetratae jam facultatis a suo praelato vel superiore locali aut ab abbate generali vel ab apostolica sede. Et quoniam ad saecularium confessiones audiendas saepe numero adigimur, idcirco praelati omnes annuatim, et discretorum canonicorum consilio adhibito, congruenti tempore in sua quisque canonica eligant ac deputent qui confessiones hujusmodi audire debeant, si ab Ordinariis locorum comprobentur. Nullus praeter designatos, hujusmodi confessiones audire praesumat. Praelatos vehementer hortamur obtestamurque in Domino ut eos instituant et proponant quos peritiores et magis idoneos esse perspexerint. Studeant insuper praelati loca honesta et condecentia atque a canonicorum conversatione (quantum fieri poterit) secreta confessionibus ipsis constituere, ut, et honestati valetudini et canonicorum quieti consulatur.

Curam autem monialium vel congregationis quarumcumque mulierum a canonicis nostris suscipi, aut ullam

cum iis omnino consuetudinem intercedere aut ordinarias etiam eorum confessiones audiri minime permittimus. Excipe moniales nostri ordinis nobis subjectas. Quod si necessitate jubente id poposcerint episcopi, petant et ipsi a p. abb. generali ut subdito, si velit, potestatem hanc tribuat. Caeterum rationem sacramenta ministrandi, quae sacerdotes nostrae congregationis peragere possunt, plane perspectam omnes habeant, uniformes in ea se praebeant, caveantque ne in facultatibus congregationis nostrae adhibendis asserendisque episcoporum et parochorum juribus officiatur. In casibus conscientiae, iisque presertim qui ad censuras, reservata, restitutiones pertinent, scienter sese et naviter exerceant, et compendiarias earum rerum notiones expeditamque interrogandi methodum et accomodata in singulas peccatorum species sanctorum effata et exempla aliaque opportuna humanae infirmitati remedia comparare sibi ac in promptu habere studeant. Confessarii inter seipsos et in ratione habendorum poenitentium conformes esse curent et, quantum res tulerit, ita aliorum confessariorum existimationi unusquisque consulat ut omnes intelligant mutuo charitatis et communis doctrinae vinculo congregationis confessarios in Domino esse conjunctos. Quapropter moralis theologia s. Alphonsi de Ligorio in omnium institutione atque usu posita sit; auctores caeteri tantummodo ad consulendum. Vocati in ecclesiam ad confessiones audiendas statim cum animi alacritate eo se conferant, et quo major poenitentium frequentia fuerit, eo maturius ab aliis occupationibus se se expediant. Eos qui crebrius confitentur, maxime foeminas, breviter conficiant, nec de rebus a confessione alienis sermo in confessionem inducatur. Paterna quaedam et spiritualis gravitas in confessariis haud satis commendatur. Extra confessionem vero si oporteat foeminas alloqui, id patenti loco fiat nec longum sermonem misceant, et oculos modeste demissos habeant.

Digitized by Google

Curent insuper praelati ut missam qnotidie omnes vel celebrent vel audiant, et caveant diligenter ne quis absque magna necessitate aut legitimo impedimento, missa inaudita, diem transigat. Ad tuendam autem fratrum nostrorum fovendamque devotionem dies infrascriptae per omnes canonicas nostras generali clericorum, fratrum commissorum et oblatorum comnnioni percipiendae dabuntnr: *Dominica prima Adventus, Conceptio b. M. v., Nativitas Domini, Circumcisio, Epiphania, b. v. Purificatio, itemque prima, tertia aut dominica quarta Quadragesimae, festa s. Joseph, Annuntiationis v. M. Coena Domini, Pascha resurrectionis, dominica tertia post Pascha, Ascensio Domini, Pentecostes, Corpus Christi, Nativitas s. Joannis Baptistae, ss. apostolorum Petri et Pauli, Assumptio b. v. M., festum s. Augustini p. n., nativitas b. v. M., et sollemnitas Sanctorum omnium.* Die autem quae communionibns dictis proximae praecedit, praelati post completorium omnes admoneant ut ad sinceram humilemque confessionem ac sanctissimi sacramenti eucharistiae susceptionem attente unusquisque et devote se praeparent. Ad locorum vicarios praecipue pertinebit qualibet saltem hebdomada ecclesias altaria icones cruces candelabra lampades altarium mappas et pallia, et id genus alia pervisere et curare, ut quae ad cultum ornatum nitoremque ecclesiarnm faciant, a sacrorum custode observentur, praesertim vero ne unquam fidelium utilitati et commodo sanctissima eucharistia desideretnr. Si negligentes officii sint vicarius vel *sacrista*, ab eo amoveantur. Praelati qni in suis ecclesiis supradicta omnia observanda pro viribus minime stnduerint, admoniti vacent a praelaturis tamquam indigni, quibus cura domus Dei committatur.

CAPUT XIII.

De missarum celebratione.

In canonicis omnibus quae a decem canonicis incoli solent, quotidie missa in omnium conventu seu *conventualiter* celebretur, et si fieri possit decantetur: ubi vero septem saltem canonici adsint, singulis diebus dominicis et festis *de praecepto* eadem missa *conventualiter* cantetur; ubi vero duodecim fuerint canonici in festis solemnioribus eadem missa cum diacono et subdiacono sollemniter indutis celebretur. Quolibet sabbato, non impedito aliquo festo *de praecepto,* cantetur missa de b. M. v. etiam si septem tantum canonici sint ubi id moris viget. In missarnm celebratione et caeremoniis quae fieri debent, in missis solemnibus et aliis similibus rubricae missalis et caeremonialis romani serventur, studeantque locorum vicarii ut iisdem rubricis et caeremoniis omnino inhaereatur. Abbates et alii praelati pontificalibus decorati, semel saltem quolibet triennio missas solemnes cum pontificalibus insignibus celebrare debebunt; in ecclesiis autem insignioribus semel saltem quolibet anno id faciendum curabunt.

Advigilent etiam canonicarum praesules eorumque vicarii, ut singulis diebus dicantur missae quibus vel ex antiqua conventione vel ex perceptis recens eleemosynis canonicae illae obligantur. Sacerdotes omnes, legitimo impedimento minime obstricti, sacrum quotidie facere debeant superioris arbitrio. In quolibet loco libellus a sacrarii custode teneatur, ibique missae per sacerdotes singulos quotidie celebrandae tum sacerdotis celebrantis nomina innotentur, quem librum patres visitatores tempore visitationum sedulo animadvertere debebunt. Praelati constitutionem hanc vel negligentes vel in aliena ne-

gligentia segnes, graviter corripiantur a visitatoribus vel ab abbate generali. Nullus sacerdos festis diebus mercede ductus vel eleemosyna extra ecclesiam nostram missam audeat celebrare sub poena privationis vocis activae et passivae per annum.

Excipe sacerdotes animarum curam extra claustra gerentes. Quoad celebrationem annuam missarum pro oneribus cujusque ecclesiae decretum eminentissimi Pacca et cujusque canonicae consuetudo obtineant.

CAPUT XIV.

De catalogo obligationum pro commemoratione benefactorum congregationis nostrae.

Ne congregationis nostrae benefactores spe suffragiorum quae a nobis jure meritoque expostulant defraudentur, habeatur in sacrario quolibet omnibusque conspicua tabella ubi catalogus appareat omnium missarum vel officiorum, quibus singulae quocumque pacto canonicae, et ecclesiae congregationis nostrae obligantur. Sitque in tabella ipsa distinctum, quo die missae vel officia, et quo altari, et pro quibus dicenda sint, an solemni ritu vel simplici, tabellaque sacrario ipso (*sacrestia*) perpetuo extet juxta antiquum nostrae congregationis morem. Si ob festum aliquod in diem occurrens missa vel officium pro aliquo defuncto quod ideo minime dici posset, id per sacrorum custodem adnotetur, et in diem crastinam, nisi festum obstet, similiter feratur. Ubi quotidie aut frequentiores saltem eleemosynae percipiuntur missis celebrandis, haud desit in sacrario liber ad hoc peculiariter institutus, in quo singulae missae dicendae distincte describantur, quae ubi dictae fuerint, in eodem libro aut in alio similiter ad hoc praeparato distincte innotentur. Non autem majores elee-

mosinae pro missis a populis percipiantur, quam sit numerus missarum vel per nostros sacerdotes vel per externos, in nostris tamen ecclesiis dicendarum.

CAPUT XV.

De sepultura et suffragiis fratrum.

Cum charitatis officiis quibus viventes adhuc fratres sumus prosequuti, eosdem mortuos fraudare non debeamus, ita cum primum aliquis ex nostris vita decesserit, ablutum de more illius cadaver, et religioso abitu indutum cum sollemni processione cui omnes de familia debeant interesse cum cruce luminaribus et aliis, juxta formam ritualis romani, deferatur ad ecclesiam, ubi inhumatum maneat, donec ab illius obitu ad humationem, ni justa obsit causa, naturalis dies intercedat. Interim per canonicos illius loci integrum officium defunctorum devote recitetur in ecclesia, et missa solemnis cum diacono et subdiacono pro anima ejus expianda decantetur. De caeteris suffragiis serventur ea quae a nobis insequenti capite afferentur. Funebris hic ritus, praeter illum ritualis romani, nobis tamquam norma erit. Defuncto novitio canonico sex circumstent feretrum cerea accensa; fratre nostro commisso nec professo quatuor, professo autem sex, pro canonico non sacerdote octo, pro canonico sacerdote decem, pro vicario et Lectore duodecim, pro praeside aut priore sexdecim, pro abbate vigintiquatuor, pro abbate generali quadragintaquatuor, pro abbate ex generali sex et triginta. Feretrum fratrum commissorum et canonicorum humi statuatur; pro abbatibus servetur ritus defuncti episcopi. Cum quis in aliqua canonica vita migraverit praelatus, vel eo absente, vicarius aut professionis ordine senior datis litteris certiorem

de obitu faciat canonicarum omnium praelatos et procuratorem generalem qui nuncium remittet ad canonicas regni neapolitani; hi vero de suorum obitu litteras Romam ad procuratorem scribant, ut congregationi universae et hoc sit notum et suffragia commendentur. Nulli saeculari, etiam de congregatione nostra benemerenti concedatur ut habitu nostro indutus sepeliri possit, sine consensu majoris partis capituli *conventualis*. Nulli etiam concedatur in ecclesiis nostris jus perpetuae sepulturae sine expressa licentia abbatis generalis et procuratoris generalis suffragio, neo non consensu capituli canonicae illius in quo sepulcrum hujusmodi ponendum sit. Procuratoris generalis suffragium erit hac in re consilii tantum gratia.

CAPUT XVI.

De suffragiis mortuorum.

Quia *sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* (lib. 2. Mach. cap. XII. v. 46.) ita praecipiendum censuimus ut a festo omnium sanctorum usque ad festum nativitatis Domini, unusquisque sacerdos pro fratribus et benefactoribus ordinis nostri *tres missas*, canonici, seu clerici non sacerdotes, *unum psalterium*, commissi vero *tercentum Pater noster cum totidem ave Maria* recitare debeant. Idem praestet quilibet pro defuncto suae canonicae: idem per totum ordinem pro abbate generali, si hoc munere fungens morte corripiatur. Volumus autem, ut omnes canonici nostri sacerdotes *unam saltem missam* celebrare debeant pro fratribus nostris defunctis aliarum canonicarum: canonici non sacerdotes *totum officium mortuorum* semel persolvant: commissi vero *quinquaginta Pater noster cum totidem ave Maria.*

Digitized by Google

Deinde pro anima cujuscumque defuncti professi nostri ordinis, praecipimus ut in ea canonica in qua eum mori contingat, imo ab ipso die ejus emortuali vel ab insequenti usque ad trigesimum, quilibet sacerdos de familia illius loci toties exstincti sodalis animam in sacrificioio meminerit; cibatus praeterea illi viventi debitus in triclinio paretur et in pauperes tandem per mensem distribuatur. Anniversarium patrum matrum fratrum nostrorum in crastino conversionis s. Pauli ubique locorum nostrorum fiat. Anniversarium fratrum propinquorum et benefactorum ordinis nostri in crastino *Octavae* s. Augustini, et die proxime praecedenti totum mortuorum officium dicatur. Sacerdotes autem ordinis nostri missam in supradictis anniversariis celebrabunt: commissi vero 50. *Pater* cum totidem *ave Maria* dicant. Quolibet anno justa persolvantur funebria mense novembri et si fieri possit infra Octavam mortuorum animabus summorum pontificum benefactorum nostri ordinis, Martini v. Eugenii iv. Julii ii. Sixti iv. Pii iv. et Pii vii. nec non Vincentii Garofali ordinis nostri et archiepiscopi Laodicenorum, a quo praecipue instauratio nostra repetenda est. Nullum anniversarium pro pecnliaribus benefactoribns habeatur nisi de consensu duarnm partium ex tribus capituli conventnalis, comprobantibus abbate generali et duobus saltem visitatoribns. Curent praelati, si possint, cum consensu majoris partis conventualis capituli, ut ostiarii quotidie vel aliquibus infra hebdomadam diebus portionem panis in pauperes post commune prandium distribnant, ea antem mente ut animae benefactorum et fratrum nostrorum facilius expientur.

CAPUT XVII.

De Silentio.

Cum scriptum sit: *In multiloquio non deerit peccatum,* (Prov. X. 19.) volumus, ut extra tempus modicae religiosaeque recreationis in nostris canonicis silentium statis locis et temporibus adeo fideliter inviolateque custodiatur, ut nemo nisi necessitate compulsus, obiter submissim et perbreviter alterum alloquatur. In choro in ecclesia et *sacrestia* silentium perpetuo fiat, praesertim cum divina recitabuntur officia et cum missa cantabitur aut privatim dicetur, vel conciones et sermones ad populum habeantur. Ceterum, iis horis in oanonica sileatur, quibus religiosa recreatio deest. In caeteris locis et temporibus in quibus loqui conceditur, ita loquendum erit ut verba scurrilia otiosa perpetuo a nostris canonicis arceantur. Turpitudines maledicta murmurationes stultiloquia et similia nec nominentur in nobis, ut apostolus praecipit (ad Ephes. V. 3.): submissa omnes voce loquantur. Nemo cum altero contentionem misceat, nemo alterum mordeat, sed ubi discors de aliqua re inter fratres sententia fuerit, ut in communi colloquio contingere solet, nihil sit elatum aut asperum in voce, nihil protervum et contumeliosum in verbis, nihil concitatum in gestu, sed ea appareat disputationis modestia et lenitas eaque officii communicatio, ut primum non sibimetipsi sed veritati locum appetiisse vir religiosus quamfacillime existimetur. In locis in quibus aegroti fuerint jam viatico refecti, nullus de rebus, quae ad animae salutem non conferant, sermonem ingerat.

CAPUT XVIII.

De mutua inter canonicos reverentia, et de modestia in omnibus servanda.

In conversatione tam domestiea quam externa apostolicum illud ne obliviscamur: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* (Philipp.IV.5.) Haec in omnibus pateat, haeo eluceat. Caput non leviter moveatur, oculi sint demissi vestes decenter mundae incessus plenus motus omnes et gestus ita compositi, ut maturitatis et gravitatis exemplum apud omnes praebeant. Allocuturi se invicem frater fratrem vel de aliqua re acturi, animos honore et obsequio praeoccnpare studeant. Quisque omnino caveat, ne alicujus vel personae vel nomini contemptim illudat aut cognomen adjiciat aut aliquem conviciis lacessat. Conversi vocitentur titulo *fratris*, clerici et saoerdotes *domni*. Nullus sive conversum sive clericum sive sacerdotem alloquens pronomine *tu* utatur, quod tamquam irriverentis familiaritatis indicium in praesenti accipi solet.

Omnes cum majores obvios habnerint caput retergant, sacerdotibns ii qui sacerdotio carent, et sacerdotes ad invicem, discipuli magistris, subditi coram praelato, conversi et clerici coram sacerdotibus, nec iniussi sedeant. Neque in persalutationibus tantum sed et in collocutionibus humilis erga superiores reverentia appareat. Qui a snperiore reprehenditur, sine interpellatione humiliter audiat. Cum fratres in honestam ac religiosam recreationem aliquando convenerint intus vel extra claustra a clamoribus et omni dissolutionis specie prorsus abstineant; non se manibus vel joculariter tangent, nec quidquam praeter religiosae modestiae fines admittant. Contraria agentes a superiore arguantur. Ne quid autem voluptuarium enutriatur, nullus in canonicis nostris canes vel honesti solatii causa habere possit.

Digitized by Google

CAPUT XIX.

De refectorio et communi refectione.

Cum apostolus praecipiat: *ut omnia honeste et secundum ordinem fiant*, (1.Cor.XIV. 40.) non solum nos cibo et potu temperate uti, sed statas etiam hac in re horas tenere debemus ne cuiquam de nostra vita offendiculum praebeamus. Sit igitur in qualibet canonica commune triclinium seu, ut inquiunt, *refectorium* decens mundum non inelegans sed absque luxu, ubi omnes tam praelati quam subditi haud legitime impediti statutis horis ad refectionem cum benedictione et gratiarum actione percipiendam simul conveniant. Refectionis tempore omnem saecularibus in refectorium ingressum semper autem in culinam interdicimus. Duae quotidie refectiones habebuntur, major et minor. Quolibet die dum ecclesiae nostrae campanae meridianum edunt signum, tunc eodem tempore detur ab culinae praefecto vel a quovis signum refectionis cum campanula, cujus sonitu omnes admoneantur ut sese a negotiis expedientes ad communem refectionem simul se conferant. Cum noctu officium persolvitur, signum minoris refectionis dabitur a fratre commisso, qui de expleto officio certior fiet, qua matutini recitatione exacta, minor habeatur refectio. In refectionis loco maneant canonici nostri quandiu opus est, ut qui lenti sunt ad vescendum nihil commodi desiderent. In refectione majori et minori benedicatur mensa a majori inter praesentes si fuerit sacerdos, et statim post benedictionem, omnes propria teneant loca; de ordine autem locorum posterius dicendum.

Cum benedictum fuerit, lector mensae, qui per hebdomadam id officii geret, dicto in medio omnium: *Jube domne benedicere*, tamdiu stet genibus flexus si non fuerit sacerdos donec signum surgendi a majori ex canonicis

accesserit et tunc suggestum ascendet lecturus quidquid eo die legendum erit. Matutina lectio fiet ex sacrorum bibliorum libris quae ab omnibus tacite excipiatur usquedum major in mensa silentii gratiam fecerit. Lectio serotina fiet ex vitis sanctorum; sileatur deinde si majori placuerit. Feria autem sexta post lectionem bibliorum legatur regula s. Augustini patris nostri: in sabato vero post sacram scripturam legantur constitutiones nostrae atque ita dum canonicorum nostrorum fauces cibum sument, aures divina verba percipiant. Primam mensam canonicorum subsequetur secunda fratrum commissorum, quibus legendus erit a canonico liber vernaculo idiomate conscriptus, qui regularis perfectionis institutionem et normam declaret. Perpetuum sit in mensa, fratrum commissorum, etiam praeter lectionem silentium. Qui vinum per mensam effuderit vel aliquid inconveniens et inurbanum admiserit tandiu stet inclinatus donec signo per majorem facto sedendi copiam accipiat. Canonici omnes et superiores quicumque ii demum sint, eodem pane, eodem vino, eodem obsonio, uti ajunt, *pietanza* in communi mensa, nisi infirma sint valetudine, vescantur, nec quidquam singulare aliquid qua privatim esca fruantur, in refectione conferri possit. Peculiari cibo privatim uti liceat tantum infirmis et illis, quos superior prudenter arbitrabitur, aut propter aetatem, aut labores et lucubrationes, aut corporis habitudinem, ut ita omnium valetudini consultum sit. Quare quibus escis reficiantur aegroti, aut vehementioribus laboribus defatigati, praesul utique discernet, uniuscujusque necessitati sese accomodans prout in Actis traditur: *singulis dividebatur prout cuique opus erat.* (Actor. XIV. 35.) Quoad ciborum quantitatem serventur primo ecclesiasticae leges, deinde jejuniorum congregationis nostrae ratio habeatur. Haec vero de quantitate praecipimus. In refectione majori prae-

beatur quotidie pulmentum simplex illud quidem sed optime instructum et paratum, et ejus quantitas sit tertia pars librae romanae. Post pulmentum, diebus queis licet, vescantur canonici carnibus, ita autem ut die qualibet duodecim saltem carnis unciae in singula capita tribuantur. Quantitas eadem augeri utique possit, nullatenus minui. Diebus reliquis, praedictae quantitatis proportione servata, obsonium sive *pietanza* singulis dispensetur. Quotidie praebeantur canonicis et fratribus commissis aut poma aut his similia, quae nimium rara non sint, et quae domesticas facultates non excedant. In necessitatibus nulli cibatus generi parcatur. Vinum pretiosum proprie dictum omnino interdicimus, excepta infirmitate, sed detur canonicis nostris et fratribus commissis ea meri qualitas, quae cum domesticis facultatibus non officiat, non corrupta non ingrata sit, verum satis saporis satisque habeat virium. Quantitas eadem sit in majori et minori refectione et juxta praesentem cujusque canonicae consuetudinem. Diebus solemnioribus aut majoribus festis receptam consuetudinem prandia tantum superent, quantum temperantia et sobrietas religiosis viris commendatae permittant, ne canonici nostri corporis studio dediti ventri et voluptatibus inserviant. Expleto tempore refectionum majoris et minoris, gratiae Deo agantur juxta breviarii romani ritum. Domo egressi mature revertantur, ut cum caeteris ad communem refectionem convenire possint, secus a superiore corripiantur. Excipe procuratores et lectores publicos concionatores et alios muneribus publicis fungentes. Immunda quidem et alia superflua quae ex eduliis supersunt non sunt projicienda, sed in paropsides deponenda. Numquam religiosi nostri de eadem paropside vel de eodem *incisorio* comedent. Singulis hebdomadis in sabbato statim ac prandium desierit, edito signo a majori, vicarius tabulam officiorum indicem, tam in

ecclesia quam domi canonicis et fratribus commissis pro tempore contingentium legat. In quadragesima vero ea tabula semper feria sexta legatur. Nulli praeterea ordinis nostri ad prandium accedere extra loca nostra liceat, tametsi apud parentes aliosque saeculares cujuscumque conditionis, nisi charitatis vel itineris gratia vel simili alia et laudabili causa superiori comprobanda.

CAPUT XX.

De jejuniis et consuetis abstinentiis congregationis nostrae.

Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. (Galat. V. 17.) Sed ne concupiscentia carnis adversus spiritum praevalere possit, jejunia tamquam arma data sunt quibus carnis petulantia cohibeatur, et animae vigor (ita Hieronymus) carnis infirmitate fortior fiat. Hinc praeter jejunia universe ab Ecclesia praescripta, fratres nostros in Domino vehementer hortamur, ut praecipue juxta vetustissimum congregationis nostrae morem jejunium agant in vigiliis septem potiorum solemnitatum b. M. v. hoc est: Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, Praesentationis, Conceptionis, Purificationis et Visitationis, necnon et in vigilia s. Augustini patris nostri. In his omnibus autem jejuniis antedictis quadragesimali utentes cibo ab ovis et ab omnibus lacticiniis abstineant nisi contraria licentia praediti: et in minori refectione is cibatus obtineat qui receptae consuetudinis est. Feria sexta in parasceve ea utantur esca quam vetus canonicarum consuetudo induxit. Praelatus pro rei aut opportunitate aut necessitate gratiam impertiat, sed quae in prudenti canonicorum usu posita sit. Supradictis diebus canonicis de more in refectorium congregatis, di-

Digitized by Google

ctoque *Benedicite*, major benedictionem pronunciet: *Largitor omnium bonorum benedicat collationem servorum suorum, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, et signo Crucis ✠ supra mensam producto, caeteri respondeant: *Amen*. Deinde ad majoris nutum lector deputatus legat ex bibliis.

CAPUT XXI.

De canonicorum exercitiis.

Juxta aureum d. Hieronymi praeceptum, semper aliquid operis faciamus ut nos diabolus occupatos inveniat. Etenim *nihil* (haec s. doctoris verba epist. ad Demetr.) *in sancto proposito otio deterius est quod non solum non acquirit nova, sed etiam peracta consumit. Sanctae vitae ratio processu gaudet et crescit, cessatione torpescit et deficit.* Itaque praeter horas quibus ad divina officia et ad orationem mentalem conveniendum erit, canonici omnes sive in cellis sive extra semper bonum aliquid utileque peragant. In cellis orationi meditationi et sacrae lectioni vacent, et in studia illa incumbant quae eis fuerint a praelato proposita. Magistri concionatores et alii scientiis dediti, si quid operis conscripserint, quod publica luce dignum videatur, nullo tamen pacto illud emittant absque permissu praefecti generalis studiorum, reverendissimi p. ab. generalis et praelati illius consilio in cujus regimine sit auctor constitutus. Ut incolumis autem et firma corporis valetudo servetur vacabunt etiam canonici aliquando exercitiis corporalibus prout praelatus jusserit aut permiserit. Nunquam tamen quovis opere aut solatio clericalem habitum dimittent, sive intra canonicam sive extra. Exercitationi cuilibet angelica salutatio semper praemittatur.

CAPUT XXII.

De claustris et januae custodia.

Qui juxta apostolicum praeceptum cavere debemus non solum a malo sed etiam a specie mali et occasione, praecipimus ut in omnibus nostrae congregationis canonicis *clausura* perpetua habeatur, a qua nullus e nostris sine permissu egredi, nullus in eam extraneus ingredi ullo modo possit, nisi janitor illum cognorit et comitetur. Clausurae janua semper clausa teneatur, cui a superiore janitor ex conversis deputetur, qui eidem custodiendae semper praesto sit quique propterea illam semper clausam tenere debebit. In canonicis in quibus duo claustra erunt, claustrum interius canonicorum aedibus magis propinquum clausum semper teneatur, nec alicui qui non sit de familia canonicae, ingressus in illud permittatur, diebus praesertim religiosae recreationis, quibus janua canonicae ita clausa habeatur, ut extranei quicumque ab ingressu omni arceantur.

CAPUT XXIII.

De profanorum ac saecularium familiaritate et de saecularibus negotiis evitandis.

Axiomatis loco instar esse potest adagium illud pervetus, conversatio laicorum corruptio clericorum : ideoque ut regularis disciplinae splendor in nobis semper effulgeat praecipimus, ut a conversatione et familiaritate profanorum ac saecularium hominum nostri abstineant, exceptis probatis boniqne testimonii viris nostrae congregationi perfamiliaribus. A conversatione vero personarum saecularium, quarum aut vita aut fama non omnino integra, abhorreant omnes advigilentque praesules ca-

nonicarum, ne quis cum hujusmodi collocutiones habeat, regularique disciplina eum statim coercere studeant. Ab omni foeminarum, quamvis perfectae et spiritales videantur, familiaritate et consuetudine quilibet alienus sit exemplum divi p. Augustini et Basilii sententiam secutus quae habet. = Amor foeminarum quantumcumque spiritualis ex diurna familiaritate convertitur in carnalem. = Nullus nostrorum praeterea seu canonicorum seu etiam conversorum saecularibus negotiis quae nobis per sacros canones interdicuntur sese immisceat, nullus mercaturam aut negotiationem exerceat, nullus venationibus vacet, nullus bona saecularium aut etiam religiosorum alterius ordinis proprio nomine aut alterius praeterquam nomine canonicae conducat. Si profani et saeculares homines auxilium alicujus nostrum, vel ad pacem conciliandam, vel ad alia pietatis et charitatis officia implorent, id praelati consilio et permissu fiat. Nullus etiam compater fiat, excipe cum sacramenta ministrabit. Meminerint demum omnes apostoli sententiam: *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus.* (2. Tim. II. 4.) Praevaricatoribus ea poena infligatur, quam praelatus vel abbas generalis constituerint.

CAPUT XXIV.

Quomodo extra claustra canonicis prope reversuris incedendum sit.

Canonioi nostri domo egredientes illud semper ante oculos mentis habere debebunt quod in nostra regula prostat. = In incessu in habitu in statu et in omnibus motibus vestris nihil fiat quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. = E canonica egressuri primo superiorem adeant vel eo absente vicarium

et licentiam impetrent. Nullus adhuc juvenis quamvis sacerdos, si nondum studiorum cursum perfecerit, sine praelati licentia, nec sine socio e canonica exeat, nisi aliter superior prudenti consilio expedire judicaverit, nec postquam exierit sese a socio disjungat. Caveant praelati a facili permissu exeundi a canonica diebus iu quibus permagna sit spectaculi aut pompae celebritas. Nullus pernoctare possit extra claustra ubi canonica nostri ordinis adsit. Excipiuntur parochi necessitate impellente: violatores hujusce legis poena afficiantur. Nullus sine decenti habitu aut sine cappa nigra et talari, si canonicus, si vero conversus sine propria veste pedem a canonica referre audeat sicut in capite de habitu mandatum est. Nullus publicis spectaculis et pompis intersit sub poena a praelato statuenda. In canonicam vix reversi superiorem adeant vel majorem, benedictionem inde accepturi. Caveant vero ne ultra horam 24. italicam reversio in canonicam differatur.

CAPUT XXIV.

Quomodo canonicis et fratribus commissis longius proficiscentibus sit incedendum.

Cum nostros longius proficisci oportuerit, licentiam a superioribus per patentes litteras impetrare debebunt, quas autem litteras cum primum ad aliquem canonicam pervenerint, praelato aut vicario aut majori exhibebunt; alioquin carceribus statim tradantur ibique postquam per mensem detenti fuerint ad proprios deinde praelatos remittentur. Praelati contra oberrantes ejusmodi et patentibus superiorum litteris destitutos si nostrae constitutioni non obsequuti fuerint a regimine per tres menses prohibeantur. Licentias eundi in civitates ubi sint domus con-

gregationis nostrae solus abb. generalis et visitatores tempore visitationis concedere possint; solus autem abb. generalis facultatem itineri quinquagesimum lapidem praetergredienti concedere possit. Sed nec etiam intra Diaecesis fines praelati subditos suos per rura aut civitates aut oppida apud parentes et domesticos diu immorari sinant. Nullus etiam absque aperta abbatis generalis licentia Romam adire praesumat sub paena privationis vocis activae et passivae per triennium; abbas vero generalis antequam huic permissioni annuat procuratoris generalis suffragium (idque consilii dumtaxat gratia) requirat. Nullus vel specie cujuscumque causae agitandae maneat extra canonicas in locis in quibus canonicae nostrae fuerint sine expressa abb. generalis licentia. De habitu viatorio quae a nobis superius dicta sunt confirmantur.

CAPUT XVI.

De eleemosyna.

Cum Christi fideles omnes misericordes esse operteat, tum multo magis clerici in sortem domini adscripti *sancti et dilecti viscera misericordiae* induere debent. (Coloss. III. 12.) Omnes igitur locorum praesules in eleemosynis pauperibus distribuendis liberalitatem quam poterunt consectentur illud numquam obliti tali hostia promereri Deum (Hebr. XIII. 16.), eamque scilicet esse, quae *a morte liberat, quae purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam aeternam.* (Job. XII. 8.) In quibus canonicis id moris viget ut statis diebus pauperibus singulis ad januam accedentibus certa panis aut vini portio erogetur, inviolate illud servandum est. Nullus erga dominum nostrum Jesum Christum, qui in pauperibus suis emendi-

catur avarus et crudelis appareat. Qui avaritia capti laudabilem hujusmodi consuetudinem aut debilitarint, aut abstulerint visitationum tempore severe puniantur, sitque visitatorum diligens et accurata hac de re conquisitio. Quidquid escarum et potus quotidie reliquum est ne male depereat aut dissipetur aut per famulos diripiatur neque apud eos qui veri Christi pauperes non sint effundatur, imo vero diligenter custoditum janitori tribuatur, qui benigne illud in pauperes dividat. Si qui autem de congregatione nostra benemerentes in egestatem inciderint, meminerimus non charitatis dumtaxat officio sed debito etiam justitiae ad vicem rependendam nos obligari.

CAPUT XXVII.

De iis qui insolitum austerioris vitae genus eligere voluerint.

Praeter ea quae a regula et ab hisce constitutionibus proponuntur, nullus absque superiorum licentia quodvis austerioris vitae genus periclitari praesumat. Nullus per speciem strictioris paenitentiae consueto cibatu et potu careat, noctem extra cubiculum agitet, nec communi in congregatione nostra vivendi rationi insuetum aliquid aut novum aggrediatur : quod si fecerit id non virtuti, sed corruptrici bonorum omnium superbiae adsignandum, meritaque animadversione est prosequendum. Nullus sive subditus sive praelatus, sed nec abbas quoque generalis singulare aliquid vel insuetum in edulio vestitu aliaque vivendi ratione admittere audeat absque certissima capituli generalis definitione. Corporis etiam castigatio nec immodica sit nec indiscreta in vigiliis abstinentiis aliisque externis paenitentiae laboribus quae valetudini

aeque ac majori bono officiant. Si quis ex nostris desiderio arctioris instituti regularem ordinem alium ingredi postulaverit, probentur antea spiritus an ex Deo sint an ex levitate potius diabolica fraude et suggestione allucinentur, reque intime perspecta tunc licentia demum illi concedatur, si prius benignos invenerit receptores et si apud eos regularis vigeat observantia.

CAPUT XXVIII.

De capitulo culparum.

Ut ea quae in regula et ordinis constitutionibus praecipiuntur inviolate serventur, et si quid aut desuetum aut minus observatum fuerit minime praetereatur sed emendandum corrigendumque curetur: ter quotannis in pervigilio scilicet nativitatis domini nostri Jesu Christi, feria sexta in parasceve et in vigilia s. Augustini patris nostri generale capitulum canonicae a praesule congregetur, cui omnes canonici et conversi professi, novitii etiam non professi intersint; ibi ad virtutis et paenitentiae exercitationem subditi omnes coram praelato genuflexi de propriis culpis quotidianis et manifestis sese humiliter accusent, initio a novitiis non professis ducto, deinde ad conversos professos ad clericos et tandem ad sacerdotes. Cum professis propria admissa accusanda erunt, novitii non professi e capitulo exeant quod etiam in capitulis quotidianis servandum erit, ut non professi professorum culpas numquam audiant; deinde vero signo facto etiam non professi revocari in capitulum poterunt. Nullus cum a praelato corripitur, culpae suae causas afferre et praetexere audeat, sed patienter submisseque se habeat: idque tunc etiam cum et spiritalis profectus et majoris perfectionis ergo non gravi defectu et notabili reprehendatur. Nemo cum a praelato similiter arguitur

sive in capitulo sive extra, arroganter et pertinaciter respondere audat: si hoc fecerit, palam in refectorio culpam emittat et pro rei gravitate poenae subjaceat. Exauditis omnium culpis allatisque paenitentiis quas ad spiritalem uniuscujusque salutem magis conducere praelatus ipse exstimaverit, coram eo genuflexi omnes generalem proferant confessionem pronunciataque per illum generali absolutione, juxta congregationis morem cunctisque genuflexis, brevis habeatur ab eo sermo de regulari disciplina, de profectu spirituali et perseverantia in timore Domini. Res deinde ac bonum canonicae et congregationis universae, romanae Ecclesiae stabilitas et propagatio, omnesque illius ordines, religiosorum sodalitates, catholici principes ii presertim in quorum ditione ordinis nostri canonicae sunt, propinqui demum et de congregatione nostra benemerentes vivi ac defuncti et quicumque spiritalia subsidia a nobis praestolantur, fratrum orationibus ab ipso praelato vehementer commendentur.

CAPUT XXIX.

De accipiendis in congregationem.

Cum nemini qui in nostra congregatione toto animo ac pectore Deo famulari velit et possit, aditus sit occludendus, ita nullus facile admitti debeat, sed ut Joan. Ap. monet (Ep. I. c. IV.) probandi erunt spiritus an ex Deo sint. Qui canonicum habitum sibi postulaverit, primum per praelatum aut vicarium aut novitiorum magistrum una cum duobus vel tribus sacerdotibus aetate prudentiaque praestantibus, diligenter interrogandus erit quonam spiritu adductus congregationem cogitarit, et quo temporis spatio id propositi secutus fuerit. De illius etiam vitae genere ac moribus quam solerter diligenter-

Digitized by Google

que et per secretas etiam inquisitiones et literas cognoscatur. Nullus enim crimini aliquo aut alieno aeri aut cuilibet reddendae rationi vel fidejussioni obnoxius, consortio habitunque nostro donari possit. Nullus item ea corporis valetudine affectus quae laborum atque onerum congregationis nostrae impatiens sit. Nullus qui mentis deliquio laboret vel aliquando laborarit; talibus enim saepe rara, saepe desperanda salus. Nullus tam inopi et calamitosa parentum fortuna, quae ob illius ingressum in congregationem auxilio fere omni subsidioque fraudetur: nullus etiam qui ordinis alterius et congregationis canonicorum etiam regularium strictioris licet instituti habitum induerit, sive professus sive non professus, sive ultro egressus, sive dimissus ad habitum canonicorum reg. aut etiam conversorum nostrae congregationis ullo pacto admitti possit, verum etiam admissus, ante professionem habitu nostro privetur. Nullus bigamus aut alio quovis modo irregularis inter canonicos adnumeretur. Nullus qui non sit justis de nuptiis progenitus etiamsi subsequenti matrimonio legitimus evaserit, idque ex pervetusta ordinis nostri consuetudine. Nullus etiam literarum adeo rudis, ut latinam linguam et quae ad humanitatem politioresque literas pertinent minime calleat, canonicorum habitu decoretur, sed admissus etiam, ante professionem, eo exuto, ad sua revertatur. Qui aetatis annum 24. excesserint in congregationem nostram suscipiendi non sunt absque abbatis generalis consensu: item adolescentes qui annum decimum quintum non expleverint. Valeant in reliquis sacrosanctae synodi Tridentinae decreta. Si quis itaque hisce dotibus praeditus hisce carens impedimentis ad habitum congregationis nostrae suscipi exoptet, id petat a praelato illius canonicae quae sit in civitate sua, vel si ibidem desit, a praelato proximioris. Praelatus cum duobus vel tribus canonicis pru-

dentioribus proponat a quibus de vocatione de propositi constantia et de caeteris requisitis omnibus sagaciter planeque interrogetur. Si idoneus ad nostra videbitur, audiatur capitulum conventuale idque decernet an proponendus sit reverendissimo p. abb. generali, et quatenus affirmative, missis tunc ad abbatem generalem literis testimonialibus capituli *conventualis*, expectandum usque dum reverendissimus idem ab. generalis mentem suam aperiat, quae erit de proponendo, vel non, candidato capitulo conventuali illius canonicae cujus familiae erit adsignandus. Si responsum habeatur de non proponendo, non amplius proponatur: si adfirmativum, tunc capitulum conventuale mature omnibus expensis riteque perspectis suffragium emittet de eo in canonicam recipiendo, vel non: statuet etiam quo temporis spatio ibi mansurus sit, antequam aliud habeatur capitulum conventuale de eo ad habitum recipiendo. Elapso tempore fiat conventuale capitulum de recipiendo candidato ad habitum, et ubi capitulum faveat, certior fiat abb. generalis ut hujus comprobatio accedat. Quae si accesserit, admittatur ad habitum eo ritu de quo in posterum. Expensae pro tyronibus in proximo capitulo generali erunt determinandae. Tyrocinium integro anno brevius non sit. Elapso undecimo illius mense, conventuale capitulum de novitio agat, et magister novitiorum omnia veluti coram Deo afferat, quae vel in laudem illius vel in culpam cedant. Si cuncta quae requiruntur novitium exornent, tum magister novitiorum curet, ut cuncta etiam quae ad professionem conducunt et quae ad bona ad facultates vestes suppellectilem etc. pertinent praesto sint, cum interim petatur a reverendissimo p. ab. generali permissio recipiendi ad professionem novitium, dummodo capitulum conventuale ante professionem peragendum professioni suffragetur. Ubi autem in capitulo quod mense ante professionem celebra-

tur oppositio pateat, tnm prudenter caveat magister novitiorum, ne in rerum suarum compositione, in vestibus aliisque comparandis ea curet novitius quae irrito denique cadant. Die octava ante professionis diem iteretur capitulum conventuale et quaeratur per secreta suffragia an novitius ad professionem accipiendus sit. Quo in capitulo, quemadmodum et in aliis haec scrutiniorum forma servetur, ut si fabae omnes albae vel duae saltem ex tribns partibus albae fuerint, receptio ad professionem constet, secus domum remittatur in triduo, in quo autem omni cum novitiis aliis communicatione et colloquio prohibeatur, neque ab alio capitulo recipi possit. De exitu interea postremi hujus capituli abb. generali per litteras renuncietur. Nemo ad professionem admittatur nisi expressa ab. generalis licentia. Die professioni adsignata serventur ritus de quibus in posterum. Novitius propria manu professionis formulam exscribat et subscribat, quam praelatus non diutius mense mittet ad procuratorem generalem ordinis, a quo in ordiuis tabulario custodietur. In conversis recipiendis ea omnia vigeant, superius de canonicis, praeter ea quae doctrinam attinet, adnotata, valeatque decretum sa. me. Clementis x. et licet in iis qui conversorum habitum sibi postulabunt, non conditiones supradictae omnes sint requirendae; nullus tamen habitu conversorum donetur, qui vigesimum aetatis annum non expleverit, et bona corporis habitudine et firmitate exercitationibus et laboribus corporalibus aptns non sit, cum ob haec praesertim conversi in congregationem inducantur. Probandum quoque erit an ardore perfectius vivendi, Deoque liberius in sancta congregatione famulandi, an levitate potius aut domesticae fortunae inopia et necessitate, vel alio demum detorto fine perductus admissionem postulet. Idque ut facilius dignosci possit, nullus ad habitum probationis recipiatur, qui prius per an-

num alicui canonicae congregationis habitu saeculari inservierit, nisi aliter capitulo conventuali videatur; qui praeterea de regulis, de votorum observantia, de harum constitutionum sensu et gravitate pro ejus captu non fuerit edoctus; qui non modo christianae legis rudimenta, religiosae perfectionis institutionem ignoret, sed qui in ss. sacrificii Missae ministrationibus et responsionibus rudis ineptusque appareat. Nullus tandem quantumvis idoneus, ad canonicorum, aut conversorum habitum admitti poterit, ac profiteri nisi in certis domibus probationis, juxta apostolica decreta ad hoc specialiter designatis, vel pro facultate a sede apostolica impetrata in posterum designandis. Praesulibus autem canonicarum vetamus ne quid accipiant ab iis qui congregationi nomen dare velint vel ingressus ipsius vel professionis gratia, neque ab ipsismet tyrocinium peragentibus vel ab eorum parentibus, excepto victu, et vestitu novitiorum eorundem juxta vigentem consuetudinem; idque sub paenis per sacros canones, et Tridentinum concilium contra transgressores constitutis. In dubiis visitatori provinciae, vel abbati generali judicium esto. Nullus conversus ad professionem est admittendus nisi antea decennio apud nos manserit religioso habitu indutus cujus legis gratiam abbas generalis audito capitulo conventuali illius canonicae ubi conversus est ad professionem admittendus, efficere poterit. Nemo admittatur, aut recipiatur tamquam oblatus etiam spe aut specie cujuslibet pecuniae aliaeque utilitatis oblata sine expressa licentia abbatis generalis, suffragio capitul conventualis, et suffragii visitatoris provinciae, et procuratoris generalis ordinis in consilium adhibitis.

CAPUT XXX.

De receptione novitiorum ad habitum.

Cum aliquis autem ad religiosum habitum recipiendus sit, die et hora ad hoc praesignatis, canonicis in choro congregatis, magister novitiorum ad nutum praelati adducat novitium, qui eo vix pervenerit se in medio omnium prosternet, et ita a praelato interrogatus: *Quid petis?* respondeat: *Misericordiam Dei et vestram;* postea nutu praelati erectus, iterum ab eo interrogetur, *Quid petis?* iterumque respondeat: *Pater, peto recipi ad habitum ordinis vestri et hujus s. congregationis licet indignus sim et peccator.* Tunc a praelato exponantur quam brevius poterit instituti nostri ratio, regularum severitas, constitutionum difficultates, multiplices spiritus nequam insidiae et fraudes, tum quae *caro* et *sanguis* accedentibus ad servitutem Dei objicere solent. Eo autem firmiter asserente, se divino fretum auxilio cuncta servaturum, cuncta perpeti velle, dicat praelatus: *Dominus qui incepit, ipse perficiat* et respondeant canonici: *Amen.* Deinde eodem modo subjungatur a praelato, canonicis invicem respondentibus: *Sit nomen Domini benedictum.* ℟. *Ex hoc nunc et usque in saeculum.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus. Deus qui per coaeternum filium tuum cuncta creasti, quique mundum peccatis inveteratum per mysterium sanctae Incarnationis tuae renovare dignatus es; te supplices exoramus, ut ejusdem Domini nostri gratia super hunc famulum tuum abrenuntiationem saeculi profitentem clementer respicere digneris, per quam in spiritu suae mentis renovatus, veterem hominem cum actibus suis exuat, et novum qui secundum Deus creatus est induere mereatur

dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum et cum Spiritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. ℟. *Amen.*

Alia oratio. *Oremus. Domine Jesu Christe qui es via sine qua nemo venit ad Patrem, quaesumus clementiam tuam, ut hunc famulum tuum a carnalibus desideriis abstractum per iter regularis disciplinae deducas, et qui peccatores dignatus es vocare dicens: venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos: praesta ut haec vox invitationis ita in eo convalescat, quatenus peccatorum onera deponens, et quam dulcis es, gustans, tua refectione sustentari mereatur, (sicut attestari de tuis viribus dignatus es) agnosce eum inter oves tuas, ut ipse te agnoscat, et alienum non sequatur, sed te, nec audiat alienorum, sed tuam qua dicis vocem: qui mihi ministrat me sequatur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.* ℟. *Amen.*

Item oratio alia. *Oremus. Sancte Spiritus, qui te Deum, ac Dominum revelare mortalibus dignatus es postulamus immensam tuae pietatis gratiam ut sicut ubi vis spiras, sic et huic famulo tuo affectum devotionis indulgeas et quoniam sapientia tua est conditus, tua quoque providentia gubernetur super quem gratiam unctionis tuae effundas et per intercessionem b. Augustini, quem praecipuum hujus sanctae institutionis legislatorem dedisti, et omnium sanctorum eum a vanitate saeculi converte, et ad observantiam hujus sancti propositi fac eum ita certatim fervere, ut in tribulationibus et angustiis tua indeficienti consolatione valeat respirare, et ut juste et pie per veram humilitatem atque obedientiam in fraterna charitate fundatus, quod te donante promittit, felici perseverantia compleat, quod ipse praestare digneris, qui cum Deo Patre sanctoque unigenito Filio ejus domino nostro Jesu Christo vivis et regnas Deus per infinita saecula saeculorum.* ℟. *Amen.*

Tum vero eum ante se genuflexum praelatus saecula-

ribus vestibus exuat dicens: — *Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis,* — induat subinde sacris nostri ordinis vestibus dicens: — *Induat te Dominus Jesus Christus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* — Tum vero cantores incipient hymnum *Veni creator Spiritus* etc. et canonicis itaque sedes suas tenentibus, et hymnum prosequentibus, maneat novitius ante altare flexis genibus, magister autem novitiorum in ultima chori sede. Completo denique hymno, idque a cantoribus subjuncto ℣. *Emitte Spiritum tuum et creabitur,* a canonicis ℟. *Et renovabis faciem terrae;* a praelato et a canonicis alterne dicatur ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus. Deus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da huic famulo tuo in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.* Tunc magister novitiorum indutum novitium praelato sistat qui eum aqua benedicta adspergat et pacali osculo complectatur: hoc impertient similiter et ceteri canonici ordine praeeminentiae servato, iidem dicentes: *Pax tecum,* respondente autem novitio: *Et cum spiritu tuo.* Demum si indutus novitius, clericus futurus est, ante praelatum denuo genua submittat qui ei indicio tonsurae quam gestare habet, in quatnor partibus circum caput particulam aliquam capillorum incidat, et nomine alio quod novitius velit et si velit, eum donet commendetque simul magistro, qui curam illius gerere debet. Denique praelatus cum canonicis alterne dicat ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit coelum et terram.* ℣. *Benedicite.* ℟. *Deus.* ℣. *Dominus nos benedicat et ab omni malo defendat. et ad vitam perducat aeternam, et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.* ℟. *Amen.*

Et ne rei memoria intercidat mandamus, ut in qua-

libet nostra canonica liber habeatur ubi nomina omnia describantur canonicorum et fratrum nostrorum, dies quo et ad habitum et ad professionem recipiuntur vel mortalem conditionem exuunt vel (quod absit) ordinem deserunt et ab eo deficiunt: quo etiam in libro innotetur dies quo ad sacros ordines canonici nostri promoventur, facta anni et mensis et ordinis ipsius mentione.

CAPUT XXXI.

De regulis instituendorum novitiorum.

Quoniam arbores novellae, ni aqua irrigua et cultus accedat, persaepe inarescunt et exsiccantur, enutritae autem extolluntur et florent, ita novitii, congregationis nempe plantaria, omni arte studioque excolantur ut laeta inde florum soboles exurgere possit. Quando aliquis itaque ad habitum probationis admittendus erit a canonica ubi sine religioso habitu est immoratus, se transferat ad canonicam in qua novitiatus sit, ibique a magistro novitiorum acceptus, omni cum iis qui de novitiatu non sint consociatione et alloquio illico prohibeatur. Post triduum a novitii adventu curet novitiorum magister ut generalem admissorum suorum confessionem peragat apud prudentem et pium confessarium a magistro novitiorum deputandum, et praelato adprobandum, et Eucharistiae sacramento suscepto, poterit utique candidatus ritu jam superius descripto, religioso habitu insigniri: confessionem deinde peccatorum suorum semel saltem in hebdomada iteret novitius apud confessarium canonicum nostrum professum, et sexto mense elapso, generaliter a postrema confessione incipiens confiteatur. Cum novitius habitu nostro decoretur, hoc illi probe denuncietur se se nunquam vel transacto etiam probationis anno, professum habitum iri,

nisi rite jure, atque ut ajunt *legaliter* professionem suam emiserit. Novitiorum habitus nondum professorum, ab habitu professorum hoc signo distinguitur, quod non professi sine manicis *rochetum* deferant, professi autem cum manicis. De conversorum non professorum habitu alibi diximus: probationis habitum vix aliquis sumpserit, illico ad *novitiatum* ducatur, qui locus ab ea parte canonicae quam professi incolunt peculiari clanstro secerni debet, et in quo tot sint distinctae inter seipsas cellae, quot singulis novitiis sufficiant, nec ea desit et paullo etiam amplior quae tyronnm magistro tribuitur. In ea tyrocinii aede praeter alia quae usui commodo commnnique utilitati danda erunt, sit etiam locus spiritualibus exercitationibus idoneus, et oratorium sacellum sacra supellectili instructum, nec hortulns ad modicum solatinm desideretur, nec cubiculum commune ad calefaciendum. Sit is locus tyrocinii clave obseratns quae semper apud magistrum novitiorum maneat; neminique illud nisi praelato aditus concedatur. Si vero ex necessitate magistro probanda ingressns alicui permittatur, is nonnisi coram magistro vel hujus socio, novitios alloquatur, idque semper quando novitius cum aliquo sermonem habere debeat. Nullus, exceptis praelato et magistro et ejus socio, cnm novitiis loqui et litteras ad eos aut quidquam aliud mittere audeat. Res quaelibet ad novitium mittenda, vel missa eidem tradi nequeat, ni prius accesserint magistri inspectio et permissio. Violatoribus hujusce regulae poena a praelato injungatur. Cnrabit diligenter adsidueque novitiorum magister ut ad regulam ad ordinis costitutiones et alia omnia quae regularem disciplinam et perfectionem spectent, plane informentur novitii, et in iis etiam exerceantur. Vitas saepe saepius sanctorum patrum iis exponat et declaret, aliosque spirituales libros perlegat. Eos instituat ad parentem virtutum omnium

humilitatem, et ad eas quae inde progignuntur, mansuetudinem obedientiam omnimodam et absolutam propriae voluntatis abnegationem; edoceat eos libenter devoteque orare, amicam fraternamque concordiam sec tari, mutua officia praebere, singularia atque insueta devitare: breviter, perutiles acceptosque societati nostrae homines conformet accommodet atque haec sint in ea institutione praecipua, divinae videlicet vocationis custodia, observandorum votorum necessitas, sensuum et carnis praesertim castigatio et coercitio. Exerceantur novitii in oratione *mentali*, in discussione propriae conscientiae, instruantur diligenter psalmodia et cantu gregoriano ecclesiasticis ritibus aliisque omnibus ad divina officia pertinentibus. In id intendat magister ut novitios ipsos in tentationum laboribus et tollerantia, in susceptae religionis zelo, in paupertatis amore, in rerum profanarum abdicatione mundique contemptu tum verbis tum exemplis confirmare, idque praesertim ubi eos tentatione aliqua conflictatos aut per quoscumque vel qualitercumque conflictandos agnoverit, enixisque precibus eorum curam jactet super Dominum qui eos enutriet. (Ps. LIV. 23.) Ss. missae sacrificio quotidie intersint novitii et bis quotidie orationi *mentali* vacent, nocturnis et diurnis officiis semper assistant, demissis oculis semper incedant, et nil nisi modestum grave et religione plenum praeseferant. Reliqua omnia vel quae in rerum divinarum cultu, in corporis, animi studiorumque exercitatione versantur, magistri judicio relinquimus. Ad animi praesertim remissionem et ad corporis valetudinem cum recreationes conferant, eas ideo honestas ac religiosas coram magistro semper aut ejus socio, statis horis concedendas putamus.

Novitii per annum probationis diebus festivis e canonica non exeant, neque in iis in quibus ingens vel festi

vel ludi vel spectaculi pompa praebeatur: loca ab omni frequentia remota semper adeant, sacros recessus pervisant, et ss. sacramentum in vespertina deambulatione adorent. Novitiorum vestes ante professionem non abalienentur, neque ullus in tyrocinio ad sacros ordines promoveatur. Quamvis praecipua magistri studia in clericorum institutione versari debeant, nullo tamen pacto religiosa fratrum commissorum seu conversorum informatio est negligenda. Ac primo teneantur quoad admissionis conditiones aetatem nempe honestatem, corporis firmitatem etc. quae in cap. de admissione in congregationem praescripsimus: deinde conversi ad probationem admissi, laico habitu in canonica nostra immorentur integro saltem anno, quo elapso, si ita videbitur capitulo *conventuali* illius loci ad quem pertinere vult candidatus, habitu donetur et sub disciplina vicarii aut canonici alicujus a praelato deputandi, annum expleat et quidquid regulae et constitutionis nostrae est, edoceatur. Emittatur inde a disciplina hujusmodi et maneat sub immediato regimine praelati; perduret octo annos in opera atque officiis canonicae praestandis: quibus laudabiliter persolutis admittatur ad annum postremae probationis ritu jam pro canonicis descripto et in novitiatu degat, ut ad ejus exitum solemnem emittere possit professionem, si id et capitulo *conventuali*, et p. abb. generali videatur. Hoc curae sit tum praelati, tum canonici deputati, tum magistri novitiorum non solum ut in corporalibus officiis conversi, sed etiam in spiritualibus exerceantur, in oratione *mentali*, in conscientiae discussione et in pia lectione ac meditatione. Doceantur etiam rationem ministrandi sacerdotibus in missa, et qui ad inserviendum et respondendum in missa inepti deprehendantur professione prohibeantur. Advigilet magister aut deputatus quilibet, ut sint communibus officiis assidui, a vitae commodis alieni, ab avaritia abhorrentes erga

superiores et canonicos demissi et observantissimi, erga fratres charitate effusi; quare ad absolutam animi abnegationem et ad virtutum omnium fundamentum, humilitatem comparentur.

CAPUT XXXII.

De solemni professione.

Perfecto probationis tempore, qui indubia religiosae perfectionis indicia attulerint et regulari instituto idonei comprobentur, si ea quoque sint aetate quae ad professionem requiritur, et a conc. Tridentino post annum sextum decimum expletum statuitur, et quoad conversos (ex decreto Clementis VIII.) post annum vigesimum primum expletum, hac ratione ad professionem admittantur. Praelatus capitulum canonicae convocabit, ibique serventur quae superius dicta sunt. Id caveant omnes, ne quem religioni idoneum, simultate, invidia vel depravato zelo e congregatione repellant, sed nonnisi gravibus de causis per congregatos omnes mature perpendendis agatur: sciant utique pro ejus anima, qui causa insontica in mundum rejectus fuerit strictissimam Deo rationem esse rependendam. Ipsa professio non secreto, sed palam in Ecclesia inter missarum solemnia habeatur coram praelato, aut vicario (ex speciali tamen commissione ipsius praelati), canonicis canonicae, et tabellione publico, ubi id obtinet moris, coram eo etiam professio fiat. Si autem aegritudinis causa alicui concedatur ut extra ecclesiam possit profiteri id tamen non aliter fiat, quam inspicientibus praelato aut vicario vel capitulo et publico tabellione rogato.

Novitiorum professiones in peculiari libro consignentur et inscribantur, vel per manus profitentium, cum pro-

pria subscriptione et duorum testium, qui et ipsi professioni affuerint. Si vero novitii sint conversi et scriptionem nesciant, testes ipsi subscribant, et novitii loco subscriptionis coram eisdem testibus signum crucis apponant. Hujusmodi autem liber in *archivio* scripturarum canonicae perpetuo adservetur. Nullus professione emissa e converso clericus fiat, sed nec etiam intra annum probationis, vel in actu professionis. Ut novitii professi in timore Domini et regulari disciplina magis confirmentur, post professionem sub disciplina magistri novitiorum biennio saltem maneant, sive in eadem canonica sive alibi a profanorum et saecularium consuetudine, immo ab aliorum professorum frequentia, et a negotiis tum canonicae tum comunibus etiam et publicis remoti. At a doctrinarum studiis et ad iis quae illuc conducant, nullo pacto remoti intelligantur. Novitii qui primo juventae flore ad congregationem accesserint in novitiatu degant donec sacris insigniantur. Denique ut nihil absonum et dissimile in professionis ipsius actu contingat, sequens profitendi ratio et formula ab omnibus servari debebit. Professurus inter missarum solemnia genibus ante altare inflexns prolatis a praelato vel vicario sermone de religiosi hominis officiis, et consuetis orationibus dicat alta et intelligibili voce: *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, et cum responsum fuerit a choro: *Ex hoc nunc et usque in saeculum*, conceptam hisce verbis professionem suam legat.

Anno Domini . . . . . die vero . . . . mensis . . . . *Ego domnus N... in saeculo vocatus N. filius legitimus N. de loco vel patria . . . . voveo profiteor et promitto Deo, beatae Mariae virgini, et b. Augustino et tibi patri domno v. abb. sive procuratori, seu vicario hujus canonicae sancti N. ordinis canonicorum reg. s. Augustini congregationis sanctissimi Salvatoris Lateranensium, et vice reverendissimi p. d. n: ejusdem congregationis ab. generalis, ac successorum ejus cano-*

nice intrantium obedientiam, castitatem, et vivere in communi sine proprio usque ad mortem, secundum regulam s. Augustini, et constitutiones nostri ordinis. Ego domnus N. supraescriptus manu propria scripsi, et ore proprio pronunciavi.

CAPUT XXXIII.

Quae deceant in congregatione nostra studia.

Cum ex ipso sacerdotalis officii ministerio ac decore debeant adscripti in sortem Domini ad scientiam contendere ne teterrima omnium poena plectantur quam Deus per prophetam minaciter indixit: *Quia tu scientiam repulisti repellam te ne sacerdotio fungaris,* (Os. IV. 6.) tum iis multo magis huic rei stndendum est qui ab hominum frequentia profanaque societate remoti animum liberius ac pacatins erudire et excolere possunt. Hoc nomine Augustinus ordinis nostri legifer religiosos aetatis suae viros mirifice commendat, *viventes,* ut ipse ait (de morib. Eccl. c. 31.) *in orationibus, in lecturis et in disputationibus:* hac lande insignes pleraeque, unde Ecclesia spectabili varietate circumdatnr (Ps. XLIV.), regularis instituti societates omnigenae doctrinae seminarium posuere, atque admirabilis inde ac ipsis Ecclesiae hostibus pertimescenda scientiarum copia, innumera scriptorum monumenta, inlatae quoquoversus germanae sapientiae faces, monasteriis et caenobiis, regulari professioni, sacrae denique omni ac civili reipublicae praeclarum decus immortalemque famam addidere. Hoc etiam splendore inclaruit canonicorum regularium ordo, qui cum Augustinum constitutorem suum veneretur, et pontifices pastoresque sapientissimos Ecclesiae paraverit, docta, si ita loqui possumus, sortitus est incunabula et rerum suarum initia. A quibns numquam degenerans eximiam scriptorum sobolem tulit, quo-

rum opera immortalitati, quorum nomina ac gesta fastis nostris commendantur. Hinc juvenes in spem ordinis nostri succrescentes vehementer hortamur ut domestici honoris haereditatem tueantur, et suis etiam laboribus et elucubrationibus augere conentur, ea potissimum temporum ac scientiarum luce in qua coram profanis hominibus ac religiosis societatibus ad doctrinae laudem plerumque contendentibus ruditatis atque ignorantiae pudere quam maxime debeat. Canonici politioribus litteris ornati (ut aggredientes congregationem nostram decet) apud canonicum philosophiae lectorem philosophicas disciplinas logicam metaphysicam atque ethicam vel ex scripto vel ex edito libro, studiorum praefecto comprobando, latino semper idiomate ediscant, et collatis disputationibus, ac syllogistica methodo in iis exerceantur, eo autem temporis spatio quo ipsorum progressui et congregationis utilitati prospiciatur. In mathematicas etiam naturalesque scientias incumbant, et si ad physicorum notionem ampliandam, aliena extra canonicam instrumenta, specula aliaque utilia existimentur, ad ea, cum opus fuerit, accedere possint studentes alicui semper sodali nostro conjuncti. Id ab eorum discipulis arceant lectores, ne in hodierna librorum levitate et pernicie eos aliquis *decipiat per philosophiam et inanem fallaciam.* (Coloss. II. 8.) Saniori philosophia instructi apud designatos congregationis nostrae lectores theologiae tum quae in dogmatibus explanandis, tum quae in morum regulis tradendis versatur, sedulam operam et ab aliis occupationibus, quoad fieri poterit, immunem impendant, se se scholasticis disputationibus exerceant, et si opportunum ac decorum videatur, prestantiores etiam inter auditores studiorum specimen palam exhibere poterunt. Ea etiam in quibus vis et auctoritas sacrae facultatis inest, diligenter assidueque prosequantur, scripturae videlicet peritiam, her-

meneuticem sacram, patrum sententias, theologorum disceptationes, neque in rei christianae historia et in sacrorum canonum disciplina leves sint, neque idiomata ecclesiastico viro utilia, graecum praecipue et haebraicum negligant. A contentione omni, ac partium sententiarumque studio abhorreant, sitque ut Augustinus voluit (de Trin. L. 2.) *in necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus caritas.* Caeterum et quibus praesertim auctoribus inherendum, et quo temporis spatio utendum sit, praefecti studiorum judicio relinquimus, qui utique advigilabit, ut a studiorum ratione ac methodo neque lectores, neque auditores discedant. Si quis tardiori videretur ingenio, et vix mediocres doctrinae fructus polliceretur, sacramentorum tamen administrationi aliisque officiis non impar esse posset, breviori theologiae curriculo pro viribus suis erudiatur. Qui studiorum cursum perfecerint et ad alia munera emittuntur illud meminerint, doctrina in omni vita opus esse, ac proinde quae olim acceperint frequenti repetitione et exercitatione esse revocanda. Sacri bibliorum libri diurna nocturnaque manu versentur, hortante his verbis Hieronymo: = *Scripturas saepius lege, imo numquam de manibus tuis sacra lectio deponatur.* = (Ep. ad Nep.) Sintque in promptu sanctorum sententiae et exempla quibus et in sacris concionibus et privatis admonitionibus, alios *in doctrina sana* exhortari valeamus.

CAPUT XXXIV.

Caetera quae ad studia referuntur.

Haec diuturno congregationis nostrae usu recepta in scholasticas exercitationes adnotanda erant. Lectiones ordinariae habebuntur feriis 2. 3. 4. 6, et die sabbati; feria 5. semper vacabit. A die 12. novembris usque ad per-

vigilium inclusive nativitatis D. N. J. C., die 2. Januarii inclusive usque ad sabbatum ante septuagesimam exclusive; a feria 5. post sacros cineres inclusive usque ad Dominicam palmarum; a dominica in albis usque ad Pentecosten; a dominica sanctissimae Trinitatis usque ad diem 27. augusti exclusive ordinariae lectiones habebuntur; caeteris diebus vacabit. Item vacabit in omnibus apostolorum festis, et in praecipuis b. M. v. festis, in festis s. Cathariuae virginis et m., s. Josephi sponsi b. v., inventionis s. Crucis, nativitatis s. Joan. baptistae, s. Petri ad vincula, s. Laurentii martyris, s. Joachim, transfigurationis D. N. J., sanctissimi Corporis Christi, s. Ubaldi, et b. Arcangeli Canetuli can. reg. Caetera ex praefecti studiorum sententia praecedent, quam in dubiis proferet.

GAPUT XXXIV.

De oblatis.

Quia ex vetusta ordinis consuetudine praeter conversos, alios etiam nonnullos ad domestica officia et obsequia erga canonicos exhibenda in canonicis nostris recipere consuevimus eosque nomine oblatorum, seu *donatorum* et commissorum, qui licet solemni professioni non obstringantur, castitatem nihilominus obedientiam vitaeque communitatem quamdiu nobiscum in canonicis versentur, servare debebunt, annuimus quidem ut id moris, quantum rerum opportunitas sinet, minime deseratur. Et concedimus ut oblati hujusmodi a praelatis cum consensu tamen suorum capitulorum in proprias canonicas recipiantur, qui florenti adhuc aetate, religione, integritate, modestia, et concordiae studio comprobati obedientiam, castitatem communemque vitam nobiscum sequantur, induti (quod antea dictum est) conversorum habitu, si commissi fue-

rint, si autem clerici canonicorum habitu decorati sed *rochetum* absque manicis deferentes. Qui cum per biennium in nostris canonicis vixerint, et praemissa fideliter observaverint, et praelato, et capitulo canonicae ita expedire videatur, in manibus praelati obedientiam, castitatem, communemque vitam iterum polliceantur, dempta tamen solemnitate qualibet, ne solemnis professionis specimen id praeferre videatur: et tunc receptionis scripturam hisce verbis exaratam sibi habeant.

N. de tali loco vel patria, abbas vel prior canonicae sancti N... talis loci, tibi vero N. de tali parentela et de lali loco, salutem, et illam quam mundus dare non potest pacem. Oblationi tuae, qua te omnipotenti Deo, et nostrae religioni in perpetuum obtulisti pietatis intuitu morem gerere volentes tenore praesentium, auctoritate qua fungimur, ac de consensu capituli nostri, te in hac canonica nostra ad vivendum in communi sponte donatum in numero donatorum nostrum unanimiter aceeptamus. Ita tamen quod juxta formam ordinationum nostrarum obedientiam, castitatem, et vitam communem sine proprio quam promittis, usque ad mortem fideliter serves. Quibus omnibus observatis, nostra conversatione gaudebis, quam statim amittes si quod promittis non observaveris. In quorum fidem praesentes fieri, et nostrae canonicae sigilli impressione muniri mandavimus. Datum in nostra canonica s. N.... die .... mensis .... anni .... Ego d. scriba de mandato.

Ejusmodi vero concessionis pagina illis facta a canonice expelli nequeant, sine consensu expresso abbatis generalis, et capituli illius canonicae in qua vivunt.

Digitized by Google

CONSTITUTIONES
CANONICORUM REGULARIUM
SS. SALVATORIS LATERANENSIUM

PARS SECUNDA
DE CANONICARUM REGIMINE ATQUE POTESTATE RECTORUM.

CAPUT I.
De abbate generale ordinis.

Quemadmodum omnes in sancta congregatione ac societate regulariter professi unum corpus sumus, ita caput unum omnibus supereminens agnoscere debemus, unum scilicet abbatem generalem ac congregationis totius rectorem, cui quoad omnia in Deo subjiciamur et sinceram obedientiam humileque obsequium praebeamus. Abbas generalis in congregatione universa tamquam antistes et parens ab omnibus suscipiendus et amore reverentia ac veneratione juxta apostolicum praeceptum de subditorum obedientia (Hebr. XIII. 17.) excolendus erit: eidem ubique in nostra congregatione praestantior locus primaque sedes sit super congregatos nostros omnes: eidem praeterea tamquam *Ordinario* judici decretoria in civiles et criminales causas, in utrumque forum internum et externum auctoritas: eidem potestas in congregationis nostrae homines sive subditos, sive etiam praelatos quam vel per se, vel per alios, si ita videbitur, exerceat, cujusce potestatis atque jurisdictionis sit inquisitiones vulgo *proces-*

sus instituere, reos carceri mandare, ab officio et a regimine aliquandiu et perpetuo etiam prohibere, sacris communibus interdicere, de loco ad locum transmittere et alia praestare, quibus totius ordinis incolumitati et incremento, sontium depressioni, innocentium tranquillitati consulatur. Abbas generalis in congregationem universam et in singulas canonicas singulasque personas ea in spiritualibus autoritate utatur ac si canonicarum singularum praelatus esset constitutus: in iis vero quae regimen spectant et bonorum temporalium administrationem canonicarum, in qualibet canonica cui praesens erit, consilio et deliberatione in capitulo valeat. Debebit in visitationibus de admnistratione praesertim temporalium bonorum cujuscumque canonicae diligenter inquirere, administratores ipsos etiam praelatos ad reddendam rationem adigere, codices dati et expensi inspectioni animadversionique subjicere, et si quos imperitos, rei domesticae indiligentes, corrupta malaque fide deprehenderit, ab officio et regimine suspendere et alios idoneos et canonicis utiles sufficere. Et si ex bonorum temporalium administratione quidquam in aliqua canonica scandali aut spiritualis detrimenti exoriatur, cum consilio praelati et loci capitulo remedium afferat, vel cum consilio patrum visitatorum, si de praelato agatur et capitulum illius constitutis refragaretur. Non modo autem potestas penes illum est, canonicos et conversos quoscumque de loco in locum transferendi, sed praedicatoribus in capitulo generali probatis et electis praedicandi licentiam impertiatur facultatemque canonicis nostris confessiones audiendi personarum saecularium utrisque sexus dummodo ordinariis loci aeque probabiles sint; item facultatem ut ad sacros ordines clerici nostri professi assumantur, aliaque praestare poterit, quae de jure vel de laudabili consuetudine eidem promanent. Ita extraordinariae expensae nullimo-

Google

de fiant in congregatione nostra absque abbatis generalis licentia. Difficilia tamen et gravia negotia cnm consilio et assensu visitatorum qui tamquam socii a capitulo generali adsciscuntur, componere ac definire debebit. Qua in re nefas habeat contrarium aliquid aut nostris constitutionibus absonum audere vel moliri, ejusdemque nomine abuti, ut quidquam congregationi perniciosum et a regulis et constitutionibus abhorrens a quocumque sive saeculari sive ecclesiastico principe impetret. Quinimo hoc sit abbati generali praecipuum, ut regulam et ordinis constitutiones in exemplum omnino servet, earumque observantiam in subditis omnibus religiose requirat, vehementer foveat, severe vindicet. Hao etiam de causa nullus est illi definitus fixae sedis locus, quam ille praeeliget ubi magis utilem rerumque confirmatricem arbitrabitur. Ab omni etiam cujusvis particularis regimine canonicae (nisi aliud summa necessitas jusserit) dum in officio manet absolutus sit, quo liberius totius congregationis bono et incremento vacare possit. Socium ex nostris canonicis, quem maluerit, poterit sibi a secretis eligere quique in canonica ubi generalis immoretur utriusque suffragii voce, scilicet ut ajunt, *activa* et *passiva* compos sit. Honoribus tandem omnibus et privilegiis gaudeat, quibus eum romani pontifices decorarunt: hoc est praesertim sedendi in pontificali sacello more episcoporum, albam induendi vestem eandemque syrmaticam, *mantellettam* ut vocant et *almutiam* nigram cum zona alba pectus praecingente, qua duo flooci item albi pendeant et denique *birretum* clericale. Ubi autem romanus pontifex solemniori ritu ac pompa incedat, tunc abbas generalis cum pluviali mitram gestabit, quae erit alba et linea more aliorum episcoporum. Sexenne erit Generalis officium idque post sexennium confirmari eidem nequeat, nisi accedente romani pontificis auctoritate, qui solus praeterea in abbatis generalis

crimina (quae Deus avertat) agere poterit. Si contigerit abbatem generalem in sexennio mortem oppetere, primus illico inter visitatores illius loco *prioris generalis* titulo sufficiatur, nisi adsit in visitatoribus abbas ex-generalis cui jus succedendi generali defuncto semper constabit usque ad proximam *Dietam* a visitatoribus universis decernendam, quae abbatis generalis electionem afferet. Primus ille inter visitatores habendus qui caeteris professionis ordine praeit, quo ordine adhibito, visitatores omnes esse possunt priores generales. Quae de morte abbatis generalis adnotavimus referenda sunt etiam ad insanabilem ejusdem infirmitatem, ad crimen gravissimum quo a visitatorum definitorio vocetur.

CAPUT II.

De procuratore generali.

Id est regularibus societatibus omnibns adsuetum atque perutile, ut ex earum coetu aliquis fide prudentia in negotiis expediendis, solertia sagacitate et assiduitate eximius apud romanam curiam totius congregationis causam agat, remque ejus pro viribus asserat et promoveat. Quo tanti momenti munere eum fungi oportet qui viris in urbe principibus acceptus sit et in perdifficilibus etiam negotiis versatus operam suam naviter feliciterque congregationi probaverit. Hunc procuratoris generalis nomine designamus atque honore prosequimur et ab omnibus aeque excipiendum volumus: hunc ab universo generali capitulo eadem ratione, qua caeterae praecipuae congregationis dignitates deferri solent, eligendum praecipimus cum mandato autem ad causas nostrae congregationis omnes, vel particularium locorum aut personarum tuendas, et alia quae generale capitulum eidem concredi-

derit. Procurator generalis in romana canonica s. Petri ad vincula sedem ac domicilium habebit. Etiamsi praelatus non fuerit, in omnibus tamen congregationis nostrae locis praeibit vicariis et abb. generali tantummodo subjicietur. Ad capitulum generale et ad *Dietas* semper accedet rationem de officio suo allaturus et in eodem capitulo generali sicut et caeteri praelati suffragii jus habebit: quem etiam voluerit ex nostris canonicis professis sibi a confessionibus deligere poterit. Illius officii erit congregationis et singulorum ejus locorum et personarum jura et privilegia apud romanam curiam studiose defendere ac vindicare ejusdemque congregationis ac particularium locorum et personarum causas diligenter fideliterque tutari coram judicibus quibuscumque et tribunalibus; mandata atque edicta omnia congregationem nostram vel ejus loca et personas quomodolibet attingentia Romae praesertim lata ad loca singula et personas confestim transmittere, et iis qui confictionibus et mendaciis, nomine etiam congregationis praetento, aliquid contra illius immunitatem libertatem privilegia statuta probatasque consuetudines aut laedere aliquo pacto, aut imminuere conarentur se se pro virili opponere, et si quid ejusmodi elicuissent, sanctissimum dominum nostrum de falsa rei enarratione simulataeque causae subreptione certiorem facere totoque homine contendere, ut male parta maleque impetrata per eundem dominum totius Ecclesiae moderatorem qui ubique *judicium judicet*, abrogentur deleantur. Quae ut alacrius atque honestius praestare possit, caveat ipse inprimis ne fines generalis mandati sibi facti praetergrediens quidquam adversus congregationis privilegia statuta immunitates laudatasque consuetudines, congregationis etiam nomine audeat vel moliatur. Brevium quoque apostolicarum literarum vel edictorum, quae ab apostolica sede ad generale capitulum vel ad con-

gregationem totam transmittentur, vel congregationis nomine impetrentur, et aliorum similiter decretorum, quae a sacris congregationibus eminentissimorum cardinalium fient, et publicum congregationis bonum spectantium; procurator ipse generalis et abb. generalis vel scriba totius capituli generalis sive societatis teneantur in primo quoque generali capitulo vel *Dieta* sincera perfectaque exemplaria seu *copias* ad valvas *definitorii* affigere, ibique relinquere adeo ut ab omnibus qui dietae vel capituli generalis participes sunt, legi percipi et exscribi possint. Inest quoque procuratoris generalis officio oberrantes fugaces et a congregatione deficientes desertoresque, praesertim si Romae vagentur, ad eam revocare, cum pleno simul mandato et potestate eos deprehendendi custodiendi et juxta canonicas sanctiones coercendi, ne huc atque illuc congregationis nostrae dedecus et populorum scandalum immittant. Studeat procurator generalis officium suum diligenter et humiliter exercere, ne maximarum rerum curam gerens subjectionis et obedientiae fructus amittat: studeat se se identidem in rerum divinarum contemplatione colligere ne temporalibus addictus aeterna e conspectu amittat. Procurator generalis a singulis canonicis utpote qui societati universae operam navat, stipendia accipiat quorum in capitulo vel annuo vel generali rationem reddat, non exclusis redditibus propriis procurationis generalis. Ac ne ordinis negotia a procuratoris generalis absentia detrimento aliquo et incommodo afficiantur, volumus et jubemus ut socius procuratori ipsi adsignetur, qui eo absente credita sibi a procuratore et commissa persolvere et implere valeat, ea praeditus auctoritate quam procurator ipse demandarit, cuique nil loci sit in capitulo generali: sit autem locus et sedes si abbas hic fuerit, et generale capitulum Romae celebretur. Advigilabit abbas generalis curabitque

ut procurator generalis muneri suo congregationis utilitati et incremento respondeat.

Quod si contigerit procuratorem generalem e vita eripi in sexennio, socius illico ejus partes agat donec p. abbas generalis, suffragiis a visitatoribus expetitis, alterum defuncto sufficiat. Si socius obierit successorem abbas generalis proprio motu creabit. Sexenne procuratoris generalis officium esto, nisi postulatu majoris partis capituli generalis pontificium pro ipsius confirmatione beneplacitum habitum fuerit.

CAPUT III.

De officio visitatorum.

Praecipuum visitatorum officium erit abbati generali in gravioribus congregationis negotiis praesto adesse, quod ut facilius exequantur, atque abbatis generalis nutu et arbitrio ad quaevis congregationis loca haud cunctanter pervisenda mitti possint, triennio quo in officio manent omni canonicarum regimine (nisi aliud necessitas postulet) immunes erunt. Ad ipsos spectabit canonicas omnes et loca congregationis visitare, et dum visitationem actu habent, in singulis canonicis visitationi eorum subjectis locum teneant prae omnibus praelatis qui in propriis etiam canonicis sint. In omni capitulo jus suffragii habebunt, et in sodales omnes provinciae, ubi visitatores sunt, potestatem abbatibus etiam localibus ampliorem exercent. In visitationibus studeant tum abbas generalis ipse, tum visitatores omnia prudenter mature et discrete pertractare ac perscrutari; et si quidquam animadversione dignum invenerint, personarum non acceptores correctione poenaque prosequi: severi vitiorum castigatores, personarum autem, quoad dari possit, patientes:

nullum autem delictorum impunitati locum relinquentes quae peccandi ansam suppeditat. Sed et sagaciter diligenterque praesertim inquirant utrum superiores aliique praelati mandata regulae b. Augustini p. n. hasque constitutiones observaverint et ab aliis observanda curarint, et si quos invenerint in haec omnia offendisse, aut in illis quae jura propria ac facultates superant dispensasse, aut iisdem solute ac liberius abusos fuisse, eos severe puniendos esse decernimus qui non tam sibi, quam toti corpori offecerint; in quibus tamen castigandis modum et formam ab hisce constitutionibus traditam sectari debebunt. Quoniam vero plures sunt delictorum species et occasiones quam leges, in iis culpis in quibus non est constituta poena ipsorum judicio et aequitate delinquentium poena moderetur, a qua nulli omnino appellandi locum aut facultatem patere, sed omnes tacite humiliter patienterque se se habere volumus. Ne quis tamen immerito aut durius, quam humana sinat infirmitas, forte plectatur, ubi aliquis de se ita sentiat, ad abbatem generalem queri potest, a quo jus praestoletur sibi debito tempore reddendum: idque literis vel nuntiis per se vel per alium unicuique liceat implorare. Id juris reddere visitatores etiam studeant cum soli sine abbate generali habeant: illis tanta ea in re sit auctoritas quae ab abbate generali tribuatur et qua prudenter adeo temperateque utentur, ut aequa de congregationis incolumitate et de hominum dignitate et honore ratio habeatur. Nullus solus visitationem agat, sed socio conjunctus. Poterit abbas generalis auctoritatem suam cuilibet illorum singillatim vel conjunctim in peculiaria negotia demandare, et ab iis tamquam ab ipsa abbatis generalis auctoritate praelati subjectique omnes pendere tunc debeant. Graviora vero negotia sine abbatis generalis consilio et auctoritate visitatores definire nequeant. Si ab-

bate generali et visitatoribus inter se distantibus, grave aliquod negotium emerserit, per literas vel fideles nuncios invicem significetur, et abbatis generalis arbitrio vel omnes vel saltem propinquiores conveniant vel aliter remedium quaerant et adhibeant. At nullo visitatoribus pacto liceat alienam provinciam invadere, jurisdictionem videlicet praelatorum, aut absentibus praelatis, vicariorum capessere, nisi (quod absit) notabile scandalum aut magnum spirituale vel temporale detrimentum congregationi universae, vel peculiari alicui canonicae aut personae possit suboriri. Sane iis eventibus semper in actuali visitatione adesse existimantur, dummodo tamen abb. generalem rei de qua agitur certiorem faciant et illius consilio acquiescant. Si quis vero ex visitatoribus mori vel ab officio amoveri contigerit, abbas generalis ipse et visitatores caeteri una cum vicario illius canonicae, ubi se abbas generalis habebit, et ad quos ex vi praesentis constitutionis electionem hujusmodi pertinere decernimus, alium, vix hoc innotuerit, loco ipsius defuncti aut amoti intra mensem subrogare tenentur. Volumus praeterea, ut non abbas generalis dumtaxat, verum etiam visitatores ipsi, cum suo fungantur officio possint in hisce omnibus interdum dispensare, iis exceptis in quibus vi praesentium ipsis est dispensandis ablata potestas.

CAPUT IV.

De praelaturis.

Quamvis christifidelibus recte gestorum merces et gloria ab uno remuneratore Christo expectanda sit, tamen cum in constituta republica honores dignitatesque iis impertiri soleant, qui de ea egregie promeriti fuerint, hinc et in Ecclesia et in iis quae ab ea Ecclesia aluntur ac pen-

Digitized by Google

dent societatibus spectabiles virtute rebusque gestis praeclari homines, ut caeteros ad sui imitationem excitent, privilegiis honoribus auctoritateque augentur. Hinc factum est, ut romani pontifices plurima abbatibus elargiti sint, quo *abbatialis* dignitas, virtutum nempe ac meritorum praemium, magis magisque in Ecclesia enitesceret. Hic rite distinguendum monemus inter abbatis dignitatem et praesulis auctoritatem, quarum illa honori, haec vero oneri esse existimetur. Unus praesit in omni canonica abbas, cavendumque ne alii hoc honore insignes ibi commorentur, tum ne privilegia atque immunitates in congregatione (quod ordini ac disciplinae inimicum esse solet) multiplicentur, tum ne multiplicata vilescant. Abbatibus ea omnia competunt, quae romani pontifices suis diplomatibus concessere. Illi abbates creandi (si *abbatialis* utique titulus vacet) qui annos duodecim ecclesiae Dei atque congregationi operam suam probarint qui nempe vel lectores vel concionatores vel magistri tyronum et alumnorum nostrae congregationis vel parochi vel vicarii non inculpatim modo, sed comprobate laudabiliter et in exemplum se gesserint.

Atque ut haec plane de iis constent, abb. generalis ab omnibus canonicis in quibus aliquod ex supradictis muneribus candidati exercuerunt, testimoniales literas exquirat quibus praesul canonicae audito capitulo conventuali subscribet vel *pro* vel *contra*. Quae ubi desiderentur nemo abbas eligi possit. Si candidatus fuerit praelatus vel prior, tunc testimoniales literae emittendae erunt a visitatore provinciae qui de illius gestis ac meritis accurate prudenterque antea cognoscat. Abbates quamvis nullius canonicae rectores vel administratores, honore tamen eodem atque obsequio, quo abbates regentes (excipe quae jurisdictioni debentur) habendi sunt.

CAPUT V.

De praelatis locorum.

Quemadmodum congregatio tota uni capiti subest, ita canonicae cuilibet suus erit rector ac praelatus cui omnes et singuli canonicae illius sodales tamquam parenti amorem atque obedientiam in Deo praebere debeant, sive abbas ille sit sive prior aut praeses sive alio quocumque nomine canonicae praesit. Praelatus autem familiae suae omni studio apparere nitatur qualem apostolus requirit, (1. Timot. III.) irreprehensibilem sobrium prudentem doctum pudicum hospitalem doctorem benignum, qui potens sit subditos exhortari in patientia et doctrina, non dominans in cleris, et ut in regula scriptum est, qui magis amari appetat quam timeri, nec se existimet potestate dominante, sed caritate serviente, felicem. Conditiones queis electio ad praelaturas debetur, superius enumeravimus. Quilibet praelatus in subditorum delicta et culpas animadvertere poterit et debebit, juxta communes aequitatis et caritatis leges, et normas praeterea sacrorum canonum et praesentium constitutionum. Fas enim licitumque est illi subditos ligare et solvere, casus reservare, censuris obstringere, inquisitiones quaestionesque constituere, judicia exercere, jure damnare, carceribus tradere. In gravioribus causis, decretoriam abb. generalis vel patrum visitatorum vel totius definitorii sententiam exposcet atque exsequetur. Alia etiam omnia praestabit quae ad regularis disciplinae integritatem et custodiam et ad creditae sibi familiae regimen necessaria aut opportuna videbuntur, idque ex sacrae disciplinae ordinisque nostri regulis constitutionibus laudataque consuetudine. Hoc praelato cuilibet primum sanctumque sit, ut regulas et ordinis constitutiones fideliter

planeque observet, et subditis observanda curet, subditorum defectus et culpas per se corrigat, nec abbati generali aut patribus visitatoribus et dignitatibus leviter aut timide corrigenda differat. Qui in subditorum erroribus castigandis segnes et imbecilles sint, corrigantur et ipsi a superioribus et, si opus fuerit, ex veteri ordinis constitutione regimine prohibeantur. Etsi vero praelati obedientiae vi ac potestate, et sub poena suspensionis et excommunicationis jubere possint, id tamen nisi perraro, in re magni momenti et necessitate compulsi efficient. Praelati curam reddituum ac mobilium bonorum suarum canonicarum ita sibi commendatam meminerint, ut nullus inter eos administrationem talium bonorum aut aliarum rerum erogationemque pecuniae vel minimam et reddituum suae canonicae per se ipsum habere et exercere possit, sed quidquid est exactionum hujusmodi et erogationum, id omne aeconomo vel procuratori vel depositario (unicuique pro munere suo) committere demandare et relinquere debeat. Nullus praelatus aut administrator quilibet alius praeter consuetos et familiae necessarios victuales vestiariosque sumptus alios extra consuetudinem et ordinem in sacrario dormitorio et domesticis officinis impendat; sed quidquid ex redditibus censuque canonicae praedictis sumptibus supererit, pro debitis canonicae aut debitorum reliquiis dissolvendis custodiatur. Si aes alienum desit, tunc quod supererit in bonum canonicae convertatur resque omnis discretis explicetur idque sub poena suspensionis a praelatura, praelato ipsi, et carcere ministris aliis praevaricatoribus, idque abb. generalis arbitrio: quod si praeter consuetos sumptus aliquid extra ordinem necessitas jusserit, neque id fiat absque aperto et scripto abb. generalis permissu et consensu capituli propriae canonicae, qui per suffragia secreta emittatur. Si vis ingruens tempestatum pluviae fluminis terraemotus

et incendii plurimum nocuerit, id praelatus visitatori provinciae statim denunciabit, qui ad damna inspicienda sese illico transferre debet, reque comperta et adnotata, abb. generalem certiorem faciet, ut remedium cogitet atque procuret. Nullus praelatus equos aut famulos saeculares in sua canonica teneat praeter eos, qui erunt canonicae cuilibet necessarii. Nullus ex praelatis in sacris locorum sollemniis immodicos inutilesque sumptus in re musica et convivali vel excitet vel permittat. Nullus praelatus domesticam sacramque suppellectilem quae magni aestimetur, vendere aut pacto aliquo alienare possit sine abb. generalis vel visitatoris provinciae permissu expressoque proprii capituli consensu: res autem quae parvi ducantur, justa de causa vendere aut commutare possit, dum hoc in melius cedat. Nullus quoque sylvas et arboreta jubeat incidenda, praeter amputationes statutis annis consuetas et quae in antecessum fieri omnino non possint. Qui sine abb. generalis aut visit. provinciae permissu et expresso consensu proprii capituli, vetitis incisionibus hujusmodi annuerit, bimestri suspensione a praelatura puniatur, gravius etiam si res postulet, usque ad muneris ipsius quo decoratur abrogationem. Teneantur insuper praelati in pretiosis alienandis bonis mobilibus, atque tum in incisione tum in venditione arborum quae non sint ceduae, ad juris normam beneplacitum apostolicum impetrare. Nullus etiam subsidiarias pecunias, quae vulgo *scortae* canonicae audiunt a praedecessoribus sibi relictas imminuere possit; quin expleto proprio regimine, illas eadem qualitate et quantitate numerata pecunia in manum depositarii tradat: secus officiis privetur, et quibus aliis, aut etiam dignitatibus in posterum frui posset, perpetuo eidem interdicatur, ut in capit. de depositario indicabimus. Bis saltem quotannis mobilia omnia canonicae per praelatos inspiciantur et visitentur adhibita synopsi

(*inventario*) et quae desunt et quae suffecta sunt, diligenter innotentnr. Semel in mense praelatus discretos canonicos advocet et cum iis mature prudenterque conferre atque agere debeat tum praesertim de spiritali canonicorum et fratrum commissorum salute promovenda, tum de administratione custodiaque bonorum, et ubi alicui rei occurrendum subveniendumque sit, minime differatur.

CAPUT VI.

De praelatorum facultate in iis quae immobilium bonorum administrationem spectant.

Nullus praelatus bona canonicae quaecumque immobilia census perpetuos jura pacta et similia venundare permutare aut alio quovis nomine modo et titulo alienare distrahere vel hypotecis obstringere, vel canonicam aut aliquod hujus membrum aut partem alicui personae collegio vel universitati obligare praesumat, sine aperta abb. generalis licentia vel capituli generalis necnon et capituli suae canonicae. Si ea fecerit auserit vel molitus fuerit, dignitatibus et officiis omnibus ipso facto careat, nec iisdem perpetuo fungi possit. Aliis etiam poenis coerceatur queis sacri canones alienatores bonorum ecclesiasticorum repressere. Alienationibus vel permutationibus bonorum immobilium ubi etiam, patefacta rei utilitate, abbas generalis indulgeat; commendandum est tamen ut prius id inveniatur in quod bona ipsa vel eorum pretium converti debent. Nullus praelatus absque permissu abb. generalis partem ullam bonorum immobilium, vel minimam personae alicui collegio vel universitati in emphyteusim sive in censum perpetuum concedat, iis exceptis quae alias essent canonicae concorporata ne quid detrimenti ex ipsorum cum illa conjunctione, iis divenditis regula-

ris disciplina patiatur. Immo cum contigerit collationem aliquam, ut vocant *investituram* bonorum emphyteuticorum iterari, id inconscio et improbante abb. generali vel visit. provinciae numquam liceat. Bona vero quae ob *lineam finitam* ad canonicas revertentur, statim canonicis ipsis addantur et concorporentur, neque deinceps in saeculares personas bona ejusmodi conferri possint nisi ex communi definitorii totius consensu, et hac lege ut eorum collationem seu *investituram* suscipientes duas ex tribus partibus pretii dictorum bonorum persolvant. Impermissae hoc pacto investiturae irrito habeantur, et praelati qui eas dederint, reipsa praelaturis saltem per annum careant. Praeter formam superius expressam recensitae omnes aliaeque alienationes, quae ex praescripto Pauli II. incipit *Ambitiosae* et Urbani VIII. decreto die 7. Septembris 1624. edito interdicuntur, absque sedis apostolicae venia fieri nequeunt sub poenis in enunciatis constitutione et decreto contentis; quod in locationibus etiam citra triennium sanciendis servetur omnino. Nec possint praelati eorumdem bonorum locationes ad triennium in antecessum tradere: ultimo primae locationis anno, secunda fiat. Non possint etiam fructus et locatitios anni insequentis redditus praeoccupare; quod si quid antea accepissent, illud anno ipso exeunte apud depositarios fideliter et integre deponant inter redditus anni sequentis reputandum, praelatoque anni sequentis resignandum. Violatores hujus legis careant per annum jure utriusque suffragii, voce nempe *activa* et *passiva*, et gravius etiam pro rei gravitate puniantur. Bonorum immobilium locationes, ut vocant *affictus*, praelati vel procuratores nullo modo facere possint, sine expresso consensu capituli suarum canonicarum: secus locationes irrito cadant. Bona etiam canonicae canonicis vel conversis nullo pacto locationi tradent: si tradiderint, canonici et conversi ipsi

ejusmodi administrationibus statim priventur et gravissima tam locatores quam conductores poena afficiantur. *Laudemia*, quae ex collationibus et *investituris* bonorum emphytenticorum a praelatis percipiuntur et pecunias, cujuslibet locationis initio pro locorum more, titulo donationis tributas inter redditus canonicarum fideliter concorporare debeant, et rationum codicibus *(libri dei conti)* consignare: secus tamquam ministri rationum bonorum ac redditum canonicarum infideliter ac culpabiliter negligentes poenis subjaceant.

CAPUT VII.

De vicariis.

Canonicarum vicarii a propriis praelatis et inter canonicos sibi subditos eligendi erunt qui vices praelati gerant, iisque in proprio officio ac munere praesto adsint. Ita electi, abbati generali et definitoribus tempore generalis capituli vel *Dietae* proponentur, a quibus vel comprobatio vel repulsa feratur. Vicariis in canonicis ubi aderunt primus locus et sedes sit post praelatum canonicae, visitatores, aliosque praelatos. Visitatoribus, quemadmodum et ceteri praelati, domo egredientes, vel restituti non genuflectent. In omnibus in quibus dignitatis et praeminentiae ratio habenda sit, visitatores et praelati semper vicariis praecedent, quamvis nulla jurisdictione praediti. Cum vicarii extra loca propriae sedis fuerint, tunc juxta priorem vel posteriorem religiosi habitus susceptionem inter ceteros canonicos maneant, cum in *vicariatu* officium potiusquam dignitas censeatur. Auctoritas et vicariorum jurisdictio ea erit, quam praelati locorum illis tribuendam existimabunt. Praelatis absentibus, spiritualem jurisdictionem in subditos exercebunt, subditis permis-

sum confitendi et domo exeundi impertientur, qui autem subditi domo exeuntes vel regredientes licentiam ab eis et benedictionem genuflexi petant. Ubi contingat aliquem praelatum forensem adesse cum aliquo suorum subditorum, subditus idem non a vicario loci sed a proprio praelato licentiam hujusmodi postulare debebit, cujus et jurisdictioni id temporis subesse censetur. Poterunt vicarii subditorum culpas etiam novitiorum audire, et paenitentiis in congregatione consuetis animadvertere. Bonorum vero temporalium administrationem sive mobilium sive immobilium nullo modo attingant, neque bona canonicarum commodare, aut locare possint, nec quovis modo abalienare, neque aliquem ad canonicorum aut conversorum habitum tyrocinii aut professionis causa admittere, neque de canonica expellere, nisi haec praelati ipsi commiserint, aut, regimine ipso ineunte, omnem jurisdictionem in spiritualibus et temporalibus vicariis ipsis concesserint et demandarint. Hoc primum quidem vicariorum erit, ordinis regulam et constitutiones observare, et a subditis observanda impense curare in iis praesertim quae ad silentium spectant in ecclesia in dormitorio et refectorio, et ad concordiam et modestiam in familiari consuetudine et conversatione custodiendam et ad officia christianae fraternaeque caritatis erga egenos infirmos et hospites, potissimum vero ad observantiam et ritus tum ecclesiae tum chori. Vicariis cura in primis sit ut divina officia statis horis sive cum cantu sive absque eo in choro *conventualiter* persolvantur, ut in officiis recitandis celebrandisque missis et in aliis omnibus ecclesiae functionibus, rubricae missalis breviarii librorumque caeremonialis chorici et kalendariorum quae a locorum *ordinariis* edi solent perfecte observentur. Vicariis, quos zelus domus Dei prae caeteris incendere debet, omnino advigilandum altarium candelabrorum iconum venerabi-

lium omnisque supellectilis sacrae custodiae et decori; advigilandum sacrorum custodi ut officium suum impleat, et quae ad ecclesiam pertinent, semel saltem in hebdomada per eos inspiciantur. Peculiaris cura vicariis sit, ut domus nostrae earumque cubicula aulae dormitoria et loca singula munda perpolitaque sint, et semel saltem in hebdomada per eos, quorum id esse solet, purgentur et everrantur, atque ut aegrotantium ministratores et famuli muneri suo diligenter alacriterque satisfaciant. Officium vicarii, etiam si praelatus vacet cujus vices sustinentur, minime vacabit, nisi abb. generali secus videatur. Duo autem dissociabilia officia ut vicarii simul et aeconomi, procuratoris vel parochi nullo pacto vicarius amplecti possit. Vicario ab hebdomadalibus et communibus officiis atque a missa vice sua cantanda immunitas non tribuitur. Nullus itaque vicarius eligi possit qui rerum scientia et prudentia praedictis muneribus aequanda destituatur, qui inquieto et ad fines suae potestatis excedendos propensiori animo deprehendatur, qui gravis alicujus culpae vel notam pertulerit vel suspicionem perferat. Atque ut vicarii ipsi se se propriis muneribus liberiores expeditioresque impertire possint, haud liceat praelatis locorum alios, praeter vicarios ipsos, vice praelatos in propriis canonicis creare, nisi ob gravissimam causam abbati generali comprobandam. Quod si adversus hujus constitutionis praescriptum, vice praelati aliqui reperiantur, patres visitatores eorum munus abrogent, administrationemque statim componant. Si vicarii propriis muneribus impares et indigni sint, iisdem priventur, aliis eorum loco subrogatis.

CAPUT VIII.

De magistris novitiorum.

Magistri novitiorum in capitulo generali vel in *Dieta,* triennio saltem duraturi a toto definitorio eligendi erunt, neque licebit praelatis locorum in quibus tyrocinium habeatur, propria auctoritate, absque notitia et assensu definitorii magistros novitiorum creare nisi contingat, ut valetudinis discrimine alioque legitimo impedimento magister a definitorio creatus proprio officio prohibeatur. Tunc abbas alterum hujus loco, praehabito capituli conventualis assensu, substituat, usque dum abb. generalis mentem suam aperiat; maxime enim refert, dotibus omnibus commendari qui illuo advocantur unde totius ordinis salus magna ex parte proficiscitur. Magistri novitiorum sacerdotes sint, et decennio saltem in congregatione nostra professi, trigesimo aetatis anno majores, egregiis vitae testimoniis ornati, orationibus et paenitentiae dediti, prudentia quammaxime probati, qui gravitatem cum affabilitate religionis zelum et ardorem cum mansuetudine conjungant, et omni animi perturbatione, ira praesertim et indignatione vacui, *exemplum* (ut apostolicis verbis utamur (I. ad Tim. V. 12.) *in verbo in conversatione in caritate in fide in castitate,* ii tandem in quos velut in virtutum omnium speculum tyrones facile intueantur. Humanis divinisque praesertim literis imbuti sint, et si fieri possit, in gravioribus disciplinis versati, quibus novitios cum opus fuerit, erudire valeant. Magistro novitiorum hoc primum erit, ut eorum mores atque indolem exploret et internoscat, juxta illud (Pro. XXVII. 23.) *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera;* iisdemque se se, quoad poterit accommodare studeat. Doceat (ut alibi diximus) ipsos regulam constitutiones et consuetudines nostras, eorum difficultates

dissolvat, in officio recitando in cantu gregoriano aliisque ecclesiae ritibus et caeremoniis attentos et devotos comparet, in cupiditatum ac voluntatis praesertim coercitione exerceat: dicta eorum et facta dissimulanter animadvertat, animos timiditati addat, incompositis affectibus frenos, culpis correctionem et paenitentiam: dulcibus amara prudenter temperet. Sanctorum eorumque omnium, qui in congregatione nostra sanctitate et virtute floruerunt exempla subjiciat. Qua mente et animo, praesertim ad s. professionem accedant, saepe saepius secum et cum ipsis discutiat, eorumque cubicula frequenter invisat. Quare absoluta plenaque illi erit potestas in tyrocinii praefecturam, tyronum istitutionem, nullusque praeter illum, exceptis abb. generali visitatore provinciae canonicae praelato aliisque tyrocinio addictis, in tyronum institutionem et curam se se ingerere aut immiscere praesumat. Et quo facilius magistri novitiorum suo muneri vacare possint, et quo magis ad eadem obeunda in congregatione nostra comparentur, immunes eos absolutosque volumus aliis officiis omnibus et oneribus, quae tyronum regimen et disciplinam vel impediant vel imminuant. Nullus ideo novitiorum magister, simul et abbas de *gubernio* vel vicarius (nisi necessitate premente) esse possit.

CAPUT IX.

De praefecto studiorum.

Ad optimam studiorum institutionem rationemque comparandam praestat, ut vir eligatur doctrinae studio et commendatione in omni congregatione spectatissimus qui scholasticae congregationis universae disciplinae praesit quique studiorum moderator, sive praefectus appelletur. Studiorum praefectus a capitulo generali eligatur

vix electis abbatibus; lectoribus omnibus semper praecedet, non autem praelatis et vicariis. Electio fiat praevio examine super themate theologico ab petente exarato, et ad definitorium transmisso saltem biduo ante capituli generalis celebrationem. Thema theologicum mittendum curabit abbas generalis ad omnes canonicas ut quisque lector ad praefecti studiorum munus contendere valeat. Examen dissertationum pertinet ad definitorium. Si nullus extiterit candidatus tunc definitorium pro sua conscientia eliget quem meritissimum in Domino putaverit. Illius officii est diligenter advigilare ut studiorum cursus absolute et laudabiliter perficiatur, necessariae proinde opes ac incitamenta suppetant, ut lectores partes suas impleant (et de rerum progressu per epistolas cum iis identidem aget) ut in disciplinis scientiarum tradendis methodus vigeat, ac nihil eorum desit quae artes optimas ac disciplinas in nostra congregatione fovere atque amplificare possint. Ad ipsum spectat, auditis praelato et discretis examen instituere vel examinatores designare, qui de lectorum concionatorum parochorum et confessariorum doctrina cognoscant: neque enim aliquis in nostra congregatione nisi per specimen comprobatus ad docendum praedicandum confessiones audiendas aut ad animarum curam accedere poterit. Studiorum praefectus eos qui facto periculo probati fuerint, abbati generali proponet, quos si velit promoveat. Praefectus studiorum ab auctoritate praelati canonicae et visitatorum quoad munus suum minime pendeat atque ut faciliori via incedere possit habeat catalogum seu elenchum familiarum omnium nostrae congregationis et pro expensis decretum fiet in proximo capitulo generali. Praefectus studiorum ad eas etiam canonicas pertingat, in quibus alumnorum convictus habeantur, eosque in omni studiorum ratione moderetur. Hoc munus sexenne erit; infra sexennium si prae-

fectus desideretur, alter ab abbate generali, auditis visitatoribus omnibus eligatur. Abbas generalis in suis diplomatibus semper addet: *Attento suffragio Praefecti studiorum*. Praefectus studiorum ad *Dietas* et capitulum generale mittere curabit prospectum quo religiosorum singulorum studia et profectus adnotentur.

CAPUT X.

De lectoribus.

In iis congregationis nostrae canonicis, quae caeteris illustriores sint, lectores haberi volumus canonicos nostros professos ingenii doctrinaeque laude florentes, docendi praeterea facilitate ornatos qui ad philosophicas et theologicas disciplinas adolescentes ordinis nostri informent, et rerum christianarum historia sacris ecclesiae legibus atque orientalibus linguis (elementari saltem institutione) valeant erudire. In iis non tam de aetate quam de doctrinae praestantia ratio habeatur. Qui post inspectas testimoniales praefecti studiorum literas lectores *perpetui* creantur, hoc titulo caeteris lectoribus honore praecedent, quaesitores examinatoresque studiorum de jure habebuntur. Dum *actu* legunt a chori officio immunes sint, aliisque immunitatibus praediti et oneribus absoluti ut curis omnibus expertes promptiores diligentioresque concredito sibi muneri satisfaciant. Assensu praefecti studiorum exercitationes et pericula publica etiam scientiarum ab auditoribus suis exigere poterunt. In canonicis omnibus semel in hebdomada, exceptis mensibus septembri et octobri, habeatur lectio *de casibus conscientiae*, ad quam canonici omnes conveniant. Hisce praelatus intersit, et deinceps audientes conferant de iisdem *casibus* et allata objecta dissolvantur. Lectores ab intempestivis fe-

riis abstineant: statutum tempus ad docendum omnino expleant, et nonnisi gravi de causa e scholastico ludo discedant; varias discipulorum mentes atque ingenia solerter sagaciterque pertractent, atque ubi opus fuerit, eos etiam privatim familiariterque excipiant. Extra ferias (*le vacanze*) a propriis exercitationibus abesse, in adventu proinde et quadragesima concionari nequeant. Haec autem in lectorum ordine serventur. Lectores praecedent discipulis: lectores theologiae praecedent lectoribus philosophiae: inter lectores vero ejusdem facultatis professionis tempus valeat.

CAPUT XI.

De admittendis ad curam animarum.

Ad curam animarum in ecclesiis congregationi nostrae addictis, nullus ex nostris deputetur, qui egregia virtutis pietatis caritatis prudentiae neque minus honorifica a praefecto studiorum sacrae doctrinae testimonia non retulerit, qui denique juxta cor Domini appareat et scientia et doctrina gregem suum pascat (Jer. III. 15.) Quin et comprobandus erit ab *Ordinario* loci, cui in iis tantummodo, quae ad curam animarum spectabunt, subjicietur. Abbatis generalis, hujusmodi electio erit: et quandoquidem animorum custodia in ecclesiis congregationi nostrae additis ad congregationem ipsam spectat, electus qui ejus personam gerit, vicarius parochus appelletur. Si necessitas efflagitet ut aliquis ex nostris ad animarum curam in aliquem locum statim emittatur, nec possit de ea re abbatis generalis licentia expectari, sacerdotem idoneum exquirat praelatus et loci *Ordinario* offerat, donec de abb. generalis mente constet. Qui alienae animorum salutis causa extra claustra degunt, regu-

lam et constitutionem ordinis nostri, in iis omnibus, quae pastorali officio minime obsint, quoad poterunt retineant et sequantur. Caveant non modo ab inhonesta, sed a suspecta quavis familiaritate aut consuetudine, virtutesque omnes, mortalium praesertim rerum contemptus in iis eluceat, ut regulari disciplinae jamdiu addictis, et *Christi bonus odor* (II. Cor. II. 15.) quoquoversus effundatur. Habitum congregationis nostrae nunquam levi de causa, aut dimittant aut occultent, ne institutum suum erubescere videantur. Caeterum valeant in eam rem quae in capite de habitu canonicorum attulimus. Ad curam animarum in locis forensibus exercendam nonnisi spectatissimi ut diximus moribus homines eligantur, atque ubi praelatorum imprudentia contrarium irrepserit, vel parochi ipsius depravatione, extrema tentanda non sunt pastoraleque munus eidem abrogandum. Vicarii parochi in officio manent abb. generalis arbitrio. Si quis ab abb. generali dimissus, in paraecia retinenda pertinaciter obfirmetur, a muneris et sacrorum ordinum exercitio prohibeatur ipso facto pro libitu abb. generalis, neque illuc unquam restitui, utroque suffragio *voce activa et passiva* in sexennium perfrui possit. Ut autem idonei ad animarum salutem sacerdotes comparentur, curae sit praelatis haud exignam sacerdotum copiam habere qui in suis ecclesiis ad confessiones saecularium excipiendas deputari possint, neque ecclesias ipsas ejusmodi confessariis destitui patiatur. Nemo autem ad exaudiendas confessiones quarumcumque accedere poterit, nisi praehabitis testimonialibus praefecti studiorum literis, et facultate *Ordinarii* loci si de saecularium personarum confessione agatur. Designati ad audiendas confessiones personarum saecularium, sint aetate ac moribus graves, et in iis praesertim edocti quae ad casus conscientiae spectant, neque desit iis tabula casuum reservatorum ab ordinariis locorum, et bulla

in caena Domini ne quid solvendum, quid illigandum sit confessarios nostros effugiat. Denique hoc parochorum et confessariorum mentibus perpetuo obversetur concrediti sibi gregis rationem coram Deo, qui *princeps pastorum* a d. Petro vocatur (1. Pet. V. 4.) esse districte reddendam, coram populis autem materiem sibi oblatam, qua aliorum animos et studia sibi et congregationi universae concilient.

CAPUT XII.

De praedicatoribus.

Ut illud plane constet quod Deus per prophetam edixit (Is. LV. 11.) *Verbum meum non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui et prosperabitur in his ad quae misi illud,* oportet ut nulli rei parcant congregationis nostrae antistites ad eos concionatores comparandos qui non modo sacri eloquii sed virtutum auctoritate alienis animis dominentur. Nullus itaque ex canonicis nostris conciones ad populum palam habeat, nisi theologicis disciplinis eruditus, a quibus germanae eloquentiae vires et praesidia petuntur et per definitorium in capitulo generali, vel in *Dieta*, et suffragantibus literis praefecti studiorum testimonialibus, hoc munere dignissimus judicetur et eligatur, quae probatio et electio ubi desint, neque abb. generalis, neque visitatores praedicandi licentiam alicui facere poterunt. Qui vero sine ea scripto tradita publice concionari ausus fuerit utroque suffragio *voce* nempe *activa et passiva*, et praedicatione omni per triennium prohibeatur. Nullus verbi Dei praedicator eligi possit, qui praeter literas praefecti studiorum testimoniales, alias etiam apertissimas a proprio praelato et ipsius manu ac jurejurando firmatas non retulerit, in quibus illius religio inte-

gritas et prudentia honestissimo testimonio decorentur. Utrumque praedicatores nostri devitent, ne hospites ac rudes in dicendo appareant, nec exculti nimis atque elati; eorum sermones ab aditibus s. scripturae et ss. patrum potiusquam e rethorum officinis petantur, nec scalpant aures, sed animos ancipiti veluti gladio percellant. Neque eorum motus ac gestus plus artis habeat quam est ecclesiastico oratori satis. Ut autem praedicatoribus ipsis vagandi occasiones desint, nullus (exceptis praedicatoribus qui insigniores sint) extra urbem, in qua immoratur, concionari poterit. Insigniores praedicatores si ad loca longinqua, praedicandi causa ire oportuerit, facultatem peculiarem impetrent ab abbate generali. Caveat hic autem, ne ecclesiae nostrae, praedicatorum longinquitate, consueto missarum vel divinorum officiorum cultu fraudentur. Socius praedicatoribus adjungatur, si fieri possit, congregationis nostrae sodalis, vel canonicus vel conversus, qui iisdem subsit. Casibus peculiaribus abb. dumtaxat generalis consulet.

CAPUT XIII.

De aeconomo procuratore canonicarum.

Cum a bonis canonicarum per se ipsos administrandis, ut lateranensi constitntione cautum est, praelati prohibeantur, ita nos constitntioni eidem assentientes, universam bonorum canonicarum administrationem aeconomo procuratori committimus. Vocentur ad id muneris canonici professi spectata imprimis fide probitate prudentia, rerumque gerendarum peritia, quae aetate haud satis etiam matura plurimi ducenda sunt. Æconomus iis dotibus instructus capitulo *conventuali* proponatur per praelatum regiminis, ut per secreta suffragia ab eodem capitulo ille electus censeatur, cui duae ex tribus suffragiorum

partibus faveant, quique ultra triennium suo munere non fungatur nisi abbatis generalis, et capituli conventualis accesserit auctoritas. Ad officium aeconomi procuratoris spectabit redditus omnes et fructus canonicarum fideliter custodire tueri et administrare, praelato canonicis cunctaeque familiae victualia, ceteraque omnia, quae vitae usui erunt, suppeditare; haecque agat benigniter erga omnes humiliter patienterque, nec aliquid vel deneget vel contendat; si quid de justis causis impertiri nequeat repulsae molestia verborum suavitate mitigetur. Ad aeconomum procuratorem pertinebit redditus et fructus et bona quaelibet canonicae annuatim colligere, collecta servare, et vendenda tempestive atque opportune venumdare, et emenda emere, stipendia persolvere, et omnium tam exactorum quam exigendorum redditum et expensarum accuratam, et distinctam rationem tenere. Quapropter tres codices aut libros conficiet praelati et discretorum manu, ineunte anno, in folia singula signandos, et quos praelatus vel discretus quotiescumque velint, aspicere et animadvertere possint, quam autem ob causam praelatus ipse alteram cellarii ubi hi libri asservantur clavem, alteram primus discretorum sibi habeant. Cellarium (*dispensa*) is locus erit in quo victualia omnia et caetera canonicae utensilia recondantur quae in procuratoris aeconomi custodiam tradita sunt. In primo eorum librorum aeconomus ipse procurator omnes et singulos redditus, seu *proventus*, de die in diem perceptos, luculenter quotidie adnotabit, pariterque impensas, quae in singulos dies cadant. Liber ejusmodi apud nos *registrum diurnum* appellabitur. In altero libro omnes similiter redditus canonicae et expensas ex priori libro exscriptas propriis titulis perspicue subjiciet quem *magistralem* redditum et expensarum canonicae librum vocabimus. In tertio autem libro quidquid est canonicae

creditae debitaeque pecuniae adnotabitur cum peculiaribus personarum, temporis, causae, et quantitatis creditorum et debitorum adjunctis, quem propterea librum creditorum et debitorum nuncupabimus. Porro in iisdem libris omnes et singulos redditus et *proventus* suae canonicae, omnesque similiter et singulos sumptus impensasque distincte et sub propriis titulis integre et fideliter, nec plus, nec minus, adnotabit; secus officio quidem semper, voce autem *activa* et *passiva* per triennium ipso facto careat. Æconomus nihil elargiatur, venui subjiciat, mercetur, neque pecuniam mutuo det vel accipiat, nec quidquam agat sine consilio et permissu capituli *conventualis* cui in omnibus reverentem obedientemque se praebeat. Ministrantes caeteri vero qui cellae vinariae lignariae lintеariae culinae aliisque domesticis officiis inserviunt ab aeconomi mandatis pendere, et rationem eidem reddere debebunt. Ipse autem aeconomus semel in mense coram praelato et duobus canonicis in qualibet canonica discretis, expertae industriae viris ad rationes canonicarum perpendendas peculiariter deputatis et electis administrationis suae rationem tum quoad perceptos redditus, tum quoad expensas exhibere teneatur. Curae sit praelatis rationem administrationis hujusmodi coram discretis supradictis recognitoribus ab aeconomo quolibet mense exigere. Qui huic legi detrectarent aeconomi procuratores ab officio suspendantur, caeteri utroque jure *voce activa* et *passiva* per annum impotes sint. Debet aeconomus procurator agros villas prata silvas aquaria molendina domos omnemque demum canonicae possessionem omniaque jura plane comperta habere invisere tueri ac servare, eaque omnia propriis libris distincte consignabit cum peculiaribus adjunctis, quantitatis et qualitatis, et quo jure a canonica possideantur. Debet conductores dignoscere bonorum canonicae colonos emphyteutas censuum et canonum

annuorum debitores inquilinos, quinam sint et quibus canonicae bonis fruantur quo tempore quo titulo cujus quantitatis et qualitatis et quo tempore solutiones cadant. Et ne canonicae jura census credita locationes et similia, ulla vel temporis vel hominum injuria oblitescant, haec rursus omnia vel in eodem libro vel in duobus distinctis (horum alter censuum et canonum, alter locationum) clare ordinate dispositeque adnotanda curabit. Syngrapha vero et *instrumenta* authentica, nec non titulos quibus possessionum jura asseruntur advigilabit, ut loculis suis in tablino (*archivio*) canonicae integre custodiantur, quae omnia authentica et publici tabellionis manu subscripta vel peculiari libro inscripta vel distincte saltem suis in locis collocata servari debebunt. Librum quoque conficiendum curabit, in quo summa eorundem syngraphorum *instrumentorum* et *titulorum* et scripturarum omnium, quae in tablino servantur, parastichide, sive per ordinem alphabeti, aut alio modo deposita contineatur, ut facile, cum opus fuerit, reperiantur. Si negotia et contractus, magni praesertim momenti in perpetuum concludantur, exempla eorum authentica statim conficiantur, et ad publica congregationis archivia, ut in capitulo de publicis archiviis dicetur, per eum trasmittantur. Cum aliquas antem *scripturas* ex archivio canonicae acoipiet, earum indicinm, memoriae adjuvandae causa, libello, cui in archivio locus esse debet, statim inscribet una cum die mense anno, et iis, quibus ipsae scripturae tradentur, quas cum receperit et in sua loca restituerit, indioium illud ex libro deleat. Nihil autem quod locationes attinet, contractus, aes alienum oonflandum, novas lites committendas, et alia hujusmodi negotia agat inconsultis atque invitis praelato et capitulo canonicae, si res id postulet. Novas vero gravioresque lites, praesertim quae publicam congregationis utilitatem

respiciunt, absque aperto abbatis generalis consensu minime inferat. Excipe si necessitati adeo serviendum esset ut abb. generalis responsio expectari non posset; nihilominus tamen ipsum, re licet incepta, certiorem facere debebit. Quando lites et causae, vel adhuc sub judice vel ad proximum finem perducendae sint, nihil inexpertum omittat ut ad omnes aequitatis ac juris leges exigantur, et jurisprudentibus, quorum opera et consilia magis prodesse possint, uti debeat. Alieni nullius et extranei praesertim saecularis procurationem suscipiet aeconomus procurator, nisi fortasse ob piam causam, (quod sacri canones dum nihil stipendii ac mercedis intersit nobis indulgent) idque consulto ac permittente praelato. Ipse demum procurator omnes in officio suo redditus et impensas peculiari libro integre, et perspicue describet et coram praelato ac recognitoribus discretis propriae administrationis rationem reddet, ut superius dictum est, et sub poenis quibus administratores redditus et impensas propriae administrationis infideliter describentes, afficiuntur. Bona immobilia quotannis semel saltem per quemlibet praelatum visitentur, synopsi adhibita seu *inventario*, in quo singulis vocibus rerum numerus status et progressiones respondeant.

CAPUT XIV.

De canonicis discretis, seu revisoribus.

In qualibet canonica per capitulum conventuale duo saltem ex nostris canonicis spectata fide rerum usu periti, et computatores diligentissimi, rationibus *(conti)* canonicae ipsius perpendendis constituentur hique per triennium in suo munere perdurabunt. Hi mense quolibet coram praelato et aeconomo rationum et computorum co-

dices redditus singulos et impensas diligenter inspicient. Ita alii omnes bonorum temporalium curatores coram praelato et discretis illis propriae administrationis rationem et libros ipsorum animadversioni subjicere debebunt. Ad ipsos ratiocinatores spectabit non de libris solum administratorum bonorum temporalium cognoscere et pervidere, an redditus omnes et sumptus ab illis facti integre et veraciter propriis titulis respondeant; sed etiam perscrutari an administratores sumptibus extra modum vel extra ordinis constitutiones prodierint, mutuatitias pecunias acceperint, aes alienum contraxerint, quae si repererint canonicae incommoda ac perniciosa, sciant se ad illa, quam primum poterunt, abbati generali aut visitatoribus denuncianda teneri idque sub poena privationis dignitatum et officiorum omnium arbitrio abbatis generalis aut visitatoris. Ad ipsos etiam spectabit anno quolibet exeunte libros omnes administratorum bonorum temporalium inspicere, summas computorum, vulgo *capsas* perpendere, et cum ipsis libris conferre, et si rationes *diurnis* et *magistralibus* libris respondentes appareant, manu propria subscribant, ut ad *Dietam* vel generale capitulum transmitti possint. Libris etiam computorum eorundem administratorum quos fideliter conscriptos invenerint subscribere debebunt. Inspicient etiam an in fine cujuslibet anni aeconomus procurator deposita reipsa effecerit enumerata pecunia debita quantitate debitoque pondere in manus depositarii. Alia etiam omnia pervideant, quae ab aeconomo procuratore in fine cujusque anni relinquenda erant et in consequentem annum servanda, frumentum videlicet vinum oleum sal caseum et similia, et rerum illarum pondera et qualitates explorent, an haec vere et reipsa a procuratore in canonica relinquantur, tamquam succedentis anni subsidia an vero deceptrix tantummodo earum rerum species habeatur. Inquirent etiam an merca-

tores institores propolae opifices alii denique omnes qui rem aut operam mercede conducti, canonicae suppeditare solent, quidquid debiti est, stipendii mercedis etc. anno decedente, receperint, de quibus etiam omnibus pp. definitores in capitulo generali vel *Dieta*, certiores facere debeant. Si abb. generali aut visitatoribus id ita expedire videbitur, poterunt iidem ratiocinatores, vel aliquis illorum, in aliquibus canonicis tempore messis aut vindemiali ad rura exire, et cognoscere de veris quantitatibus frumenti vini et aliarum frugum et fructuum collectorum, villicae rei curatores (*fattori di campagna*) juramento adigere, aliaque solerter facere, et omnia scripto accurate consignare, ut de vera legitima et integra quantitate redditum canonicarum plane constet.

CAPUT XV.

De canonicarum depositariis et depositis faciendis.

In qualibet canonica unus erit dumtaxat depositarius vel a capitulo canonicae electus, vel ab abbate generali designatus, et apud eum quidquid est pecuniarum canonicae quocumque jure ac nomine perceptum necnon et deposita singulorum religiosorum servari debebunt in comuni arca nummaria serris duabus, et clavibus diversis obstructa, quarum clavium alteram praelatus loci, alteram depositarius habebit: arca vero in ipsius praelati cubiculo semper maneat. Depositario peculiaris sit liber in quo summam pecuniae omnis, quam custodiendam recipiat, adnotet diemque simul, et a quibus ipsi obvenerit. Pecuniam quoque aeconomo aut cuilibet traditam in singulos dies impendendam, eodem modo et in eodem libro describet. Non tamen alicujus deposita accipiet nisi sciente ac permittente praelato; at-

Digitized by Google

que ut pecunia omnis tam a depositario recepta quam cuivis tradita in supradicto libro appareat, in altera libri pagina nempe sinistra inuotandam curabit pecuniam quam in singulos dies accipiat; in altera opposita pecuniam, quam aliis impendendam tradat. Singuli vero tam deponentes nummorum quam recipientes priusquam vel depouant vel recipiant, utramque ipsam pecuniae quantitatem in eodem libro in suis locis propria manu conscribent, adnotando etiam personam et diem: ita ut liber ipse non manu depositarii, sed deponentium vel recipientium scriptus sit. Si deponentes vel recipientes pecunias sint conversi vel oblati, scriptionis ignari, alios pro se scribentes adhibeant. Locus sit eidem libro in arca nummaria cum nummis ipsis illuc depositis. Deposita quaecumque sive ex annuis proventibus sive ex bonis immobilibus venu traditis, sive alio quovis modo facta, depositarius quilibet priusquam e canonica discedat vel depositarii munus expleverit, integre realiter, praesenti probataque pecunia apud novum depositarium tradere teneatur. Nullus praelatus nullus procurator subsidiariam pecuniam canonicarum, vulgo *scorta*, a suis praedecessoribus relictam, possit vel totaliter vel partim alienare consumere vel diminuere, sed integram relinquere, insumptam autem ex necessitate admissa a capitulo canonicae, restituere debeat probatis utique nummis vel rebus saltem vendibilibus vel creditis realibus et exigibilibus per discretos canonicae recognitis, idque sub poena abrogandae illi praelaturae, perpetuaeque inhabilitationis ad gradus omnes dignitates officia in congregatione obtinenda. Depositarius a procuratore aeconomo ubi fieri possit distinguatur. Depositarii qui deposita minime consignarint careant *voce activa* et *passiva* per annum, et pro rei gravitate a definitoribus gravius etiam puniantur.

CAPUT XVI.

De sacrorum custodibus seu sacristis.

In singulis locis ubi utile visum fuerit sacrario (is locus sacrae suppellectili asservandae vulgo *sacrestia*) canonicus aliquis sacerdos, vel saltem ordinibus sacris initiatus, idemque fide religione ac zelo commendatus (*sancta* enim *sanctis*) praeficiatur, eique in laboriosis operibus ministrans et adjutor praebeatur conversus qui in his, quae ad templi et *sacristiae* custodiam et cultum spectabunt illi subsit et pareat sub poena a praelato loci sacristae consensu statuenda. Qui vero sacrario praeficietur is studeat se se in omnibus dignum exhibere, cui et cura et decor domus Dei committantur. Advigilet, ut templum et *sacristia* et sacra omnis suppellex munde nitide ac perpolite habeatur ac reparetur. Die quolibet sabbato tabella adnotabit quemadmodum sequenti hebdomada et quo ordine missae quotidie celebrandae sint. Caveat ne in templis hominum multitudine frequentibus, atque ubi sacerdotes minime desiderentur, nimium desiderentur missae, ideoque plura simul missarum initia prohibeat, sed altera alteram festis praesertim diebus subsequatur. Tabellam in *sacristia* manentem habeat atque indicem singulorum officiorum et missarum pro vivis et defunctis, quae persolvenda diebus singulis a nobis sunt; curetque, ut officia et missae statis diebus celebrentur. Alia quoque in *sacristia* illi sit tabella ostendens quibus temporibus anno vertente canonici ad divina officia peragenda vestibus albis induti ad chorum convenire debeant eosque statis horis tintinnabuli sonitu satagat excitandos. Pervigilet, ut almum Eucharistiae sacramentum in propria custodia honorificentissime servetur, eique lampas purissimi olei numquam exspiret. Die sabbathi sacrista sacer-

dos, summo mane sacrum faciat ad altare sacramenti augusti, et s. particulas restituat. Tabernaculum clavi obseratum maneat. Sic oleum infirmorum rite piatum annis singulis renovandum mandet ac decenter custodiat, quod, ubi adsunt, parochi praestare debent. Sanctorum quoque reliquias, quae mobiles erunt decore admodum habeat, quibus interdum ad fovendam pietatem palam propositis duo saltem cerei semper illucescant. Externos sacricolas ad sacrum faciendum haudquaquam admittat, nisi celebrandi facultate a propriis ordinariis munitos dignoverit. Missas, quae singulis decurrant diebus et a quibus vel pro quibus et quot, quolibet die dici contingat, apposito libro consignabit. Quin et alium sibi librum habeat cui distincte per singulos dies inscribat eleemosynas vel missis celebrandis vel usibus ecclesiae vel alio quocumque nomine impertitas, missis etiam innotatis, vel officiis quibus eleemosynae ipsae tribuentur. Haec statim dicenda curabit, et cum dicta fuerint, facto aliquo signo in eodem libro aut in alio distincto, similiter adnotabit. Impensas quoque omnes describet quibus rationem reddat praelato canonicae quolibet mense, et si quid pecuniae sumptibus iisdem supersit, a praelato ipso in arcam depositarii sed rerum sacrarum nomine deponatur. Duo etiam repertoria seu inventaria habebit, quorum alterum pretiosa, alterum reliquam omnem ecclesiae supellectilem complectatur. Duo quoque ex hisce inventariis fiant exemplaria, alterum in canonicae archivio, alterum in secretario asservanda. Illi denique omnia curae sint quae ad loci dignitatem majestatemque referuntur. Ab officiis ac functionibus abstineat, quae in tabula per praelatum probata minime prostent. Si necessitas urgeat, tunc auditis canonicae abbate procuratore et discretis, faciat quod in bonum spirituale fidelium cedat. In sacristia perpetuo

sileatur, et si necessitati serviendum sit, submissa voce id fiat: loquaces e contra a praelato puniantur.

CAPUT XVII.

De bibliothecarum praefectis.

Ubi extat bibliotheca custos eidem integra omnino fide, librorum peritia et literis praefecti studiorum testimonialibus comprobatus a capitulo generali praeponatur. In canonicis quae careant bibliotheca, aliquis statuatur locus, ubi libri in praelati fidem ac custodiam recipiantur. Cum aliquem ex nostris canonicis ex hac vita decedere contigerit, libri omnes, qui illius usui erant, in bibliothecam canonicae in qua e vita migravit reponantur, et in catalogum seu indicem referantur. Nemo possit bibliothecae libros venum, aut dono tradere, aut alio modo distrahere vel alienare: secus enim furti judicio et poenis teneatur, vel quas abbas generalis statuerit vel romani pontifices indixerunt ubi aderit bulla excommunicationis. Cum plura ingeminata fuerint libri ejusdem exemplaria poterunt in alios utique libros, queis careat bibliotheca commutari, expetita a capitulo canonicae facultate vel a romano pontifice ubi adsit bulla excommunicationis, vel agatur de libris majori pretio estimabilibus. Bibliothecarius libros omnes bibliothecae pluteis ita disponere debebit, ut suus cuique facultati distinctus sit locus proprioque titulo designatus, nec non bibliothecam, mane trium horarum, vespere unius horae spatio apertam habere. Matutinae horae tres meridiei proximae: vespertina hora 21. ad 22. Curabit, ne sordes aut inquinamentum aliquod admittatur, ne pulvis libris insedeat, ne humor et calor officiant, aut periculum aliquod inferatur. Procuratori canonicae significabit quod

bibliothecae opus fuerit, ut pro canonicae viribus consulatur nisi bibliothecario aliunde suppetat quod conferre possit. Praecaveat ne igneum quidquid in bibliothecam inducatur; inductum, fortasse ex necessitate circumspiciat neque relinquat nisi de bibliothecae incolumitate eidem certum sit. Noxios libros et Ecclesiae judicio proscriptos nemini, qui *licentia* careat legendos permittat. Habeat tum bibliothecarius tum praelatus claves bibliothecae, a qua aperta nec minimum temporis hic procul abesse possit. Bibliothecae praefectus scripta cujuscumque canonici in sua canonica defuncti colligat et in indicem referat. Quod si eorum auctor doctrina inclaruerit, vel re collata cum praefecto studiorum aliisque viris doctis e congregatione nostra typis digna videntur, aut in lucem proferenda curet, aut auctoris vitam adjiciat, catalogum ipsorum sive impressum sive mss. diligentissime in bibliotheca adservet, et utriusque exemplar ad procuratorem generalem mittat. Volumus insuper ut in singulis ordinis n. bibliothecis unum saltem sit exemplar eorum operum, quae a canonicis nostris evulgantur, eisque a bibliothecario nomen adjiciatur auctoris si anonyma in lucem prodierint, adeoque omnes si fieri posset, vel insigniores saltem n. o. bibliothecae opus quodlibet congregationis vel canonicorum sumptibus aut studio editum dono ab editoribus habeant; caetera vero alienis sumptibus in lucem emissa, pretio aut aliter sibi honeste comparent. Bibliothecae praefectus librum habeat in quo ea omnia diligenter adnotet quae per totum ordinem aut in sua canonica palam afferantur pericula, vel specimina scientiarum et artium orationes et id genus alia, quae congregationis nostrae studia pertingunt. Bibliothecae praefecto adjungatur frater commissus qui statis diebus et horis in laboribus adjutricem ei manum praebeat. Bibliothecario accuratam rei omnis librariae

custodiam haud satis commendamus; nec humanitate et comitate erga omnes, neque consilio et officio studiosis unquam desit.

CAPUT XVIII.

De valetudinario, de infirmorum cura eorumque curatoribus.

Tanta est divini illius alloquii suavitas: *Infirmus fui, et visitastis me* (Matth. XXV. 36.), tanta propositi praemii magnitudo ut ad beatissimam vocem illam excipiendam vocem nempe exsultationis et salutis aegrotantium caritate et cura omnino contendendum sit, quandoquidem (sequitur Dominus ib. v. 40.) *quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Haec verba animo insculpta habeant praelati ne teterrima omnium sententia rejiciantur a Domino, quem infirmum in fratribus suis minime adjuverint. *Infirmus eram et non visitastis me.* (ib. v. 43.) Nihil proinde asperum nil durum nil difficile erga aegrotos, Deus atque homines iisdem indulgent. Audiant, quem nemo audire recusat, Augustinum: = *Infirmi enim sic tractandi sunt, ut citius recreentur.* = Audiant Bernardum ita eos alloquentem (serm. 23. in cant.): = *Discite subditorum vos matres esse.* = Infirmorum itaque cura fratri alicui commisso, non autem laico, demandanda est, qui pietate caritate et tolerantia praeditus infirmis praesto sit adeo eorum diligens et studiosus, ac si aegrotanti Christo domino deserviret. Huic praesit canonicus valetudinario praefectus in quo caritas ab apostolo commendata benigna nempe, patiens, etc. prae caeteris dotibus effulgeat, quique omnia ad infirmorum solatium spectantia praelato assentiens procuret. Aegroti vero ingrate atque impatienter ministrantes ejusmodi minime habeant,

verum divinae voluntati acquiescentes quae vel ad sensum molesta a medicis, et quae a famulantibus apponuntur, leniter libenterque suscipiant, ne infirmitas, quae ad expiationem culparum eis obvenit in augmentum in accessionem peccati ex impatientia vertatur. Qui adversa valetudine senserit se se correptum superiorem vel infirmarium certiorem faciat, hique cum medicum consuluerint operam dabunt, ut in valetudinarium si locorum id opportunitas praestet deferatur, secus in suo cubiculo, omnibus ad valetudinem restituendam adjumentis instructus sit. Nemo gradu quolibet ac privilegio ornatus, superiore vel praefecto infirmorum inconsultis, qui semper erit canonicus, medicum advocet vel medicinam accipiat. Et quia spiritali antequam corporeae saluti nobis est impense studendum cum primum inciderit quis in morbum per praelatum aut vicarium vel majorem ex canonicis admoneatur, ut paenitentiae sacramento animi sordes admissaque omnia eluat quo habito (nisi ingenti morbi ipsius violentiae obviam illico eundum sit) medicinae artis subsidia et levamina accedant. Dabit quoque operam praelatus vel vicarius, ut aegrotus ille pecuniam si quam habeat, credita aliaque omnia quae revelanda essent, fidenter ac plane denunciet, ne morbo incrudescente, mors eum tamquam *possessorem* aggrediatur, et canonica pecuniae rerumque suarum jacturam faciat. Hoc aegrotantibus praelatis hoc vicariis observandum sit. Cum ad extremum vitae discrimen aegrotus devenire videatur, iterum ad paenitentiae sacramentum et ad intimam animi contritionem excitetur; confessioneque peracta et convenientibus in unum fratribus, sacra infirmorum synaxis, quae et viaticum, ad eum pie deferatur, quo nihil est ad diaboli fraudes extinguendas humano generi salutarius. Dum adhuc sibi constet infirmus, oleo rite piato extremam unctionem suscipiat. Ubi mors impendeat, jubeat

praelatus duos ex nostris canonicis quorum alter sacerdos sit diu noctuque moribundo sodali alterna cum aliis canonicis vice adsidere. Hi fratrem cum infernis potestatibus colluctantem ad fidem spem et caritatem erga misericordem parentem redemptoremque omnium Deum eliciendа flexanimo alloquio permoveant, angustiis solatium afferant, pias admodum preces, venerabiles icones apud eum adhibeant, justorum mortem, facilem aditum ad caelestia sodali jam jam morituro apud Deum enixis supplicationibus commendent. Ut de diuturna neque pergravi aegrotatione agatur, frequentem nihilominus sacrae confessioni et eucharistiae usum praelatus infirmo praecipiat. Cum aliquis praeterea in eo est ut morti cedat *plenaria* absolutio ordini nostro apostolica auctoritate concessa, modo et ordine, ut infra, eidem impertiatur. Ne quid autem aegrotis omnino desit quod ad eos solandos, et ad sanitatem recuperandam prodesse possit, tum praelati ipsi tum vicarii semel saltem quotidie eos visitabunt, multo saepius vero praefectus infirmorum. Si quis ex nostris iter agens in aliqua nostra canonica morbo corripiatur, cum humanitate et caritate cui nemo est alienigena, habeatur et canonica unde discessit impensis omnibus in aegritudinem collatis satisfaciet. Canonici qui infirmis praeficientur, in primis curabunt, ut ea omnia, quae ad curam et solatium aegrotantium (ut supra diximus) spectent ad unguem serventur. Cum quis in morbum inciderit, medicum jubeat advocandum, eique aegrotum visitanti adsit, ut quae praescripta utiliaque sunt, sedulo comparentur. Advigilet munditiae cubiculi, linteorum, ciborum copiae ac salubritati, nec aliquid inexpertum praetermittat quod ad vires reficiendas, animosque recreandos concedere possit. Ubi opus sit nocturnas vigilias conversis, aut saecularibus famulis indicat. Conversum valetudinario ministrantem si segnem rudem aut

asperum deprehenderit praelato severe puniendum satagat. Ipse imprimis mansuetudinis lenitatis ac suavitatis exemplo sit; molestos patiatur, acerbos mitiget, adflictos consoletur, hoc probe sciens, infirmorum cura nil ad caelestem mercedem esse praestantius. Hoc imprimis eidem curae sit ut valetudinarium necessariis instructum sit, re videlicet lintearia, vasariis, calefactoriis, refrigeratoriis, aliaque omni suppellectili quae valetudinarium deceat, cujus ipse clavim habeat.

Haec autem omnia consultis praelato et medico exsequatur. Si officio suo desit per praelatum, si praelatus ipse, per abbatem generalem puniatur.

Cum quis ex humana conditione morti appropinquat, fiat ei plenaria absolutio, ordini nostro apostolica auctoritate concessa, hoc modo: primum dicat infirmus *confiteor* totum, si potest; si nequeat, dicat alius loco illius: postea sacerdos, cui ille fuerit generaliter vel specialiter confessus, dicat *misereatur* totum et *indulgentiam*, et consequenter hanc absolutionem, idest: = *Auctoritate Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus et sanctae romanae Ecclesiae mihi commissa et tibi concessa, ego te absolvo ab omni sententia excommunicationis majoris vel minoris, et restituo te unitati fidelium et sanctis sacramentis Ecclesiae: et auctoritate mihi commissa et tibi concessa, te absolvo ab omnibus peccatis tuis contritis confessis et oblitis. Item auctoritate Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus et sanctae romanae Ecclesiae et auctoritate Domini nostri summi pontificis mihi in hac parte commissa et tibi concessa, et quantum debeo et gratum in oculis divinae majestatis fuerit, te absolvo ab omnibus poenis tibi in purgatorio debitis propter culpas et offensas, quas contra Deum commisisti, prout in privilegio ordini nostro concesso a sanctae mem. domino papa Gregorio* XII. *et Julio* II. *plenius continetur, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,*

Amen. Si vero ista vice non morieris, reservo tibi indulgentiam concessam ab eodem domino nostro papa pro ultimo articulo mortis tuae, ut in eodem privilegio indulgentiae plenius continetur, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen. =

CAPUT XIX.

De janitoribus canonicarum.

Cum illud dubio careat janitorem totam domum repraesentare, nullum ideo praelati januae custodiendae praeficiant quem talem futurum non intelligant qui non januam tantummodo custodiat, sed laicos etiam et accedentes quoscumque ad nostras canonicas vitae exemplo modestia ac suavitate ad se conciliet. Qui januae custodiendae fuerit, eam clausam semper teneat, eique jugiter assistat. Accedentes omnes exteros atque ultro compellantes per fenestellam januae proxime adjectam alloquatur. Cum canonici choro communi refectioni capitulo lectionibus orationi *mentali* scholastico ludo et similibus vacent, nihil cuiquam enunciet neque ullum inde avocet nisi vel necessitas vel insignis accedentis dignitas id efflagitet. Quod servetur etiam a laico aedituo, sive *sacrista* vel a sacrista ipso dum in ecclesia fuerint paenitentes qui confessarium exquirant, qui confessarii semper vocari possunt excepto tempore chori et tempore praesertim orationis *mentalis*. Necessitate vero urgente advocentur. Janitor nullum extraneum per canonicam evagari permittat. Portas canonicae cum noctescere incipiat, semper claudat, et exacta hora post editum serotinae angelicae salutationis signum, nulli sine licentia praelati aperiat. Diei sero claves canonicae praelato deferet, et si qui de familia foris adhuc manserint eidem enunciet. Pulso ad

januam tintinnabulo festinet, ne diu expectetur, et accedentes per fenestellam (si possit) expediat. Pauperibus eleemosynam implorantibus cum magna verborum atque oris benignitate respondeat, et sciscitetur quid elargiente praelato, in eos distribuere possit qua in re charitatis legi obsequatur, neque humano cuilibet affectui. Cum medicus advenerit, valetudinarii custodem illico admonendum curet. Ab externis nihil in canonica custodiendum accipiet, sine praelati licentia, neque bona canonicae foras efferri ullo modo permittat. Mulieres ad januam accedentes paucis expediat ac dimittat. Si quid indecore et injuste et cum canonicae detrimento aut dedecore lucrifecerit aut si quid durum et asperum cum accedentibus ostenderit, severe puniatur.

CAPUT XX.

De tablinis seu archiviis et registris scripturarum.

Ut bona et jura canonicarum illaesa serventur, sit in qualibet canonica locus aptus et tutus ab omni incendii vel rapinae periculo in quo scripturae canonicae authentica instrumenta privilegia jura et tituli, quibus constat de jure omnium eorum quae per canonicam possidentur, diligentissime custodiantur, quod archivium duabus clavibus sit obseratum, quarum altera penes praelatum, altera penes procuratorem maneat. Instrumenta et singrapha seu scripturae quibus constat de jure eorum quae a canonica possidentur, manu tabellionis alicujus publici sint subscripta, et exempla similiter contractuum omnium alicujus momenti praesertim *rerum perpetuarum*, quos fieri continget; haec omnia in archivium locis suis distincta ponantur. Ut facile autem scripturae omnes in archivio reperiantur, catalogus illarum seu *inventarium* pa-

raschitide seu per alphabeti ordinem conficiatur, et ad ordinem eundem inventaria, scripturae ipsae in archivio locis distinctis locentur, neque desit in archivio liber in quo adnotentur scripturae quas procurator vel quilibet alius ex eodem archivio decerpserit, adnotatis die mense et anno, et iis queis ipsae scripturae tradantur. Hisce autem restitutis adnotatio eadem deleatur. Et ne authentica deinceps exemplaria scripturarum, quae totius congregationis aut canonicae alicujus jura privilegia fundationes donationes acceptiones bonorum magni momenti rerumque *perpetuarum* contractus complectuntur, aut vi flammarum aut incursione hostium et direptione aut quavis denique causa intereant et absumantur, omnibus et singulis canonicarum praelatis praecipimus, ut scriptorum hujusmodi proprias saltem canonicas pertingentium authentica exempla curent quamprimum conficienda, eaque apud judices omnes ad fidemfaciendam pervalida, quae ad publicum archivium per generalem capitulum definiendum transmittenda erunt. Romanum archivium, quam primum ad meliorem formam atque ordinem redigatur, et scripturarum omnium publicarum privilegiorum indultorum brevium apostolicorum bullarum et aliorum omnium, quae rem congregationis nostrae publicam tangunt, vel authographa vel authentica saltem exempla ibidem ordinate cum inventario disponantur, ita ut procurator generalis cum opus fuerit, illa in promptu habere possit. Omnium etiam bullarum brevium rescriptorum et decretorum apostolicorum vel alicujus congregationis eminentissimorum cardinalium quae congregationem respiciant, abbates procuratores seu vicarii generales pro tempore vel autographa vel exempla saltem authentica romano eidem archivio consignare teneantur.

CAPUT XXI.

De inventariis.

Quilibet praelatus tria inventaria bonorum suae canonicae ni confecta fuerint, conficienda statim curabit. In quorum primo bona omnia canonicae immobilia, jura, census, canones, pensiones, agri, vineae, nemora, prata, fontes, stagna, molendina, aedificia, domus, et similia, propriis distinctisque nominibus, quibus innotescere solent, perspicue describantur, ubi eorum territoria significentur, adjuncta, quantitates, qualitates, quo jure, et a quibus canonicae obvenerint; ibique sint instrumenta quibus de justa eorum adeptione et possessione constet, tum demum coloni, conductores, emphyteutae, et qui *livellarii* vocantur et qui omnes, et etiam qui bona ejusmodi successive tenebunt. Hoc autem inventarium in archivio canonicae, vel apud procuratorem maneat. In altero inventario describentur bona omnia mobilia canonicae totaque illius suppellex, quod quidem inventarium et repertorium generale ex particularibus catalogis sacrarii, dormitorii, et aliarum officinarum canonicae componatur ordinateque adeo ut distinctis titulis suis quae ad sacra, dormitorium, etc. pertinent omnino respondeant. Inventarium hujusmodi apud praelatum, vel eo absente apud vicarium custodiatur. Porro *sacristia* ipsa, dormitorium, cellarium, culina, triclinium, valetudinarium etc. sua quaeque repertoria et inventaria distincte habeant, et cum aliquis ab officio removendus ab alio subrogandus sit, per inventarium cuncta conferatur, et inspiciatur suppellex cui custodiendae fuerat deputatus. Tertium inventarium bona omnia mobilia complectatur, quae in domibus canonicae agrestibus habentur et discernat simul quid unicuique domui sit, quid ad usuariam canonicorum et con-

versorum suppellectilem, quidque instrumentorum agrestium ad horrea cellasque varias vinariam pomariam, etc. pertineat. Idem liber qui penes procuratorem aeconomum esse debeat, afferat bona omnia canonicae *se moventia*, equos, boves, pecudes, sues etc. et quae iisdem adjiciantur, currus plaustra et similia. Praeter haec ali quotannis consignetur inventario suppellex omnis quae canonico unicuique vel converso usui tribuatur, ut cum aliquis alio proficiscatur tradita sibi omnia per inventarium respiciantur. Optimum quoque erit si libellus in procuratoris aeconomi cubiculo semper teneatur, ibique in singulos dies innotetur, quidquid commodatum vel detur vel accipiatur, ne rei memoria, et cum memoria (ut assolet) res ipsa intercidere possit.

CAPUT XXII.

De admittendis ad sacros ordines.

Canonici qui ordinis nostri instituta professi fuerint per praelatum proprium, si hic abbas, vel per alium qui pontificalibus utatur clericali tonsura initiari debebunt; sumus enim proprie clerici, et juxta Pii IV. sententiam cum primum professionem emittimus clericali dignitate ornatos nos esse oportet. Quatuor inde ordines minores, vel idem abbas, vel alius pontificalibus insignitus conferat, sacerdotibus tamen propriae canonicae plerisque saltem assentientibus rogatisque ordinandis ea quae tunc scitui necessaria Ecclesia praestituit. De admittendis ad sacros ordines, primo servetur decretum s. congregationis concilii Tridentini, ad subdiaconatum autem nullus mittatur nisi expresso abb. generalis permissu, qui eum nequeat impertiri antequam literas praefecti studiorum testimoniales, quae ad caeteros pariter ordines requiruntur, ordinandus ipse retulerit, indubium nempe doctrinae indicium sine quo nemo tantum honorem sibi assumere audeat.

CONSTITUTIONES

CANONICORUM REGULARIUM

SS. SALVATORIS LATERANENSIUM

PARS TERTIA

DE POENIS VARIO CRIMINUM GENERI CONSTITUTIS.

CAPUT I.

De culpis corripiendis.

Licet moderatoribus atque praesidibus nihil antiquius esse debeat quam ut caritas erga Deum, sempiternaeque salutis studium prae animadversionum et poenarum metu ad regularis disciplinae custodiam valeant, et praelati ipsi *amari magis quam timeri*, appetere debeant (quod regula nostra egregie docet) attamen ne longanimitate ac misericordia malorum audacia extollatur (haec proinde non misericordia sed cum Augustino *crudelitas parcens* (Ep. 6.) potest appellari, et quos divina jura non continent impendentis saltem poenae formido cohibeat, studebunt locorum praelati visitatores in primis et abbas generalis, cui congregationis universae cura credita est ne subditorum culpae vel injudicatae vel impunitae relinquantur, sed unicuique pro illarum gravitate admirabili misericordiae et justitiae foedere digna rependantur, juxta facultates a romanis pontificibus nobis impertitas. Locus itaque habeatur in qualibet canonica satis firmus tutus ac secretus et instar

carceris, qui culparum et criminum vindex degeneres societatis nostrae homines custodiat. Novitiis tamen, nisi fugae periculum immineat cella pro carcere esse poterit. Ubi de levium culparum castigatione agatur, praelati caritatis, et aequitatis legibus obtemperantes ea ex arbitrio sequantur quae subditorum saluti utiliora intelligant, dum nihil de hujusce constitutionis praescripto detrahatur. In gravioribus tamen delictis quando ad paenam spiritualem, aut gravem paenam corporalem deveniendum sit, *substantialia*, ut ajunt, judiciorum servari debebunt. Quibus culpis certa paena per ordinis constitutiones statuta sit cum vix de delicto, et delinquente jure constet, paena ipsa a propriis ordinariisque praelatis, statim irrogari poterit, vel a visitatoribus provinciarum, vel ab abbate generali, quia in hisce ac similibus sententia a toto capitulo generali jam lata fuisse censetur.

Cum vero ob gravius crimen, cui nihil paenale ab ordinis constitutionibus adjudicatum est, aliquis puniendus erit, praelatus delinquentis, aut visitatores, aut abbas generalis, aut alii quibus abbas generalis partes suas committet inquisitionem seu *processum* eundemque ut vocant edocentem vulgo *informativum* conficiant, decretoria vero sententia a toto definitorio prodire debebit. In absentes tamen, ac nondum auditos definitiva sententia nunquam feratur, praesertim in iis in quibus pergravis paena aut infamia delinquenti impendeat; tunc enim ordo judicii quoad *substantialia* servandus erit. Si praelatus crimen admiserit, idque suspensionem meretur, non tamen gradu dejiciendus est, sed vicarius loco illius sufficiendus donec regiminis tempus perfectum sit. Excipe si id criminis esset quod non modo impediret promovendum, sed promotum etiam dejiceret.

A paenitentiis seu paenis per definitorium ob delictum constitutis nullus vel abb. etiam generalis, praeter

definitorium ipsum immunitatem indulgere possit. Praelati sententias in subditos suos latas exsequendas omninò curent, sub paena ab abbate generali pro rei gravitate decernenda. Si contingat subditum aliquem qui nondum paenitentiae satisfecerit a canonica in alteram mitti, praelatus loci, unde proficiscitur, praelato alteri ad quem ille abeat, necnon ab. generali, et visitatoribus provinciae id per suas literas significare teneatur. Si quis in aliqua canonica reus adeo sit ut inquirendum in eum ac procedendum, hoc fiat a praelato loci, aut visitatoribus, aut per alium ab abbate generali deputatum: illud autem semper, quoad fieri poterit, secreto, ne domesticae culpae apud exteros, quo nihil religiosis societatibus periculosius, evulgentur. Neque in ea inquisitione quaesitoris, scribae aut amanuensis, qui saeculares sint, opera utatur, neque criminales eorum causae, quae ad nostram congregationem pertinent ad judicium aliquod saeculare ullo pacto deferantur, nec imprudenter vel malitiose confecti processus minimum temporis intervallum exterius proferantur. Profanis et saecularibus judicibus omnis rerum congregationis nostrae pertractandarum aditus occludatur. Excipe casus ab hisce constitutionibus enunciatos. Si quis nequam aut imprudenter crimina eorum qui sunt ex nostra congregatione ad tribunalia nobis extranea, vel ad principes seculares aut exteros alios detulerit, praelatura per tres menses careat; et si res postulet, paenae adversus revelantes secreta religionis contra eum valeant. Si ob magnum rei momentum juris prudentes consulere oporteat, patronos et procuratores canonicarum dum eorum erga congregationem voluntas satis pateat, et temperate ac prudenter id fiat.

CAPUT II.

De culparum diversitate.

Quandoquidem imparitas in delictis deprehenditur et pro criminum varietate varia quoque paenarum obtinet ratio, hinc omnia culparum genera ad quatuor capita redigi volumus et quasdam inter culpas leves, graves, graviores et gravissimas demum judicari. In levem itaque culpam offendit qui negligenter vel ignoranter, aut vocis vel linguae lapsu nec cogitate, nec consulte voces indicto silentio, vel risus et cachinnos in choro edit, oculos curiose circumfert, fratres ludibrio habet, otiose ineptèque blaterat, in scholis, vel circulis strepit, aliquid in mensa indecenter effundit aut vertit. Quae tamen prohibente praelato, aut iterata a superioribus animadversione, obfirmatisque in culpam animis, gravia evadent. Gravis culpae habendum est violare praeceptum expressum eaque praeterea, quae per regulam quidem praescribuntur, non tamen essentialem votorum observantiam pertingunt, aut quae scandalum proximis injicere possint, etiam si ex se minime lethalia fuerint, ut literas, vel munus aliquod aestimabile sine praelati permissu accipere, res ex cella alterius auferre, vel cum aliquis praelato permittente egrediens, idemque studiis vacans ac etiam sacerdos a socio disjungitur, vestibus colore aut forma prohibitis utitur, comam vel barbam enutrit, profanos ac saeculares nimia familiaritate ac joco habet, arma occulta defert, novitios sine praelati vel magistri licentia alloquitur, et alia similia, superiorum judicio et animadversioni subjicienda. Inter graviores culpas accensentur, quae apertum omnino scandalum proximis pariant, et quae ab omnibus peccati lethalis loco habentur, et per sacros canones id eo sub gravibus paenis excommunicationis praesertim, et

depositionis clericis interdicta, ut negotiationes illicitae, ludus alearum, lapsus carnis, vitium proprietatis, furtum, aperta inobedientia, apostasia, perduellio, blasphemia et alia ob quae sacri canones non muneribus tantum imo sacris communibus quemlibet arcendum decrevere. Illa denique omnia gravissima culpa et infamia laborant, quae extremis suppliciis communi omnium jure vindicantur. Addimus religionis proditionem, et quae nullum corrigendi locum amplius relinquant. Levium et gravium etiam culparum poena, quam ordinis constitutiones minime respiciunt, superiorum judicio permittatur. Culpae gravissimae et extremo supplicio dignae vel perpetuo carcere, vel civili potestati vindicandae relinquantur. In reliquas juxta sacrorum canonum et nostrarum constitutionum praescriptum ita animadvertendum est, ut potestas sit definitoribus, omnes et singulas poenas cuivis delicto propositas vel imponendas augere aut minuere. Excipe eas quibus per ordinis constitutiones impediuntur.

CAPUT III.

De poenis in evagantes et in praelatos non residentes.

Ut omnis evagandi occasio subditis auferatur, studeant in primis ipsi praelati *nemini dantes ullam offensionem ut non vituperetur ministerium eorum* (ap. Paul. 2. Cor. VI. 3.) in propriis canonicis residere, nec quovis nomine quaesitoque colore huc atque illuc evagentur, cum residentia sit de jure divino. Quod si praelatus aliquis non resederit in suo canonica severe corripiatur ab abb. generali; si correptus residere neglexerit a praelatura eidem interdictum sit; et quoad residentiam attinet neque abb. generalis nisi in casibus permissis a jure, hu-

jusce rei gratiam facere possit. Nullus autem praelatus cui potestatem abb. generalis vel provinciae visitatores in scripto non concesserint, e canonica proficisci possit, sub poenis ipsius abb. generalis arbitrio infligendis; neque sine licentia scripto emittenda ab iis ad quos spectat, suos subditos longius quinquagesimo lapide proficisci permittat praelatus, sub poena trimestri suspensionis ab officio. Subditi sine licentia scripto, ut diximus impetrata, a propriis discedere canonicis non audeant, etiam qui causarentur profectionem ad abb. generalem, aut ad aliquem ex visitatoribus nisi necessitas admodum presserit; qui secus facerent carceri mancipentur et puniantur praelati libitu. Nullus praelatus, aut visitator aut etiam abb. generalis in posterum edere possit alicui ex nostris sive canonico, sive etiam converso, facultatem ut extra congregationis nostrae loca immoretur operam suam, vel ministerium praebens alicui congregationi nostrae extero sive saeculari, sive etiam regularis ordinis alumno, sive apud eorum villas, *rurabus*, sive etiam oppida, et civitates neque ut bona conducat personarum, collegiorum, aut etiam religiosorum extra congregationem nostram *ad firmam* sive *ad affictum* nisi beneficio aliquo in titulum, vel specialem licentiam a sede apostolica praeditus sit; in quibus omnibus valeat decretum a s. m. Paulo v.; et a sacra congregatione regularibus praeside editum, quo regulares extra claustra degentes ad illa quam primum revocandi jubentur.

CAPUT IV.

De poenis in lusores.

Datur animis relaxandis communis quaedam statis diebus atque horis jucunditas eaque etiam cum ludis conjuncta; at ipsum jocandi ac ludendi genus factum esse

debet, non profusum non immodestum, immo in quo probi ingenii religiosaeque innocentiae et sanctitatis lumen effulgeat.

Ludi, queis honesti solatii causa religiosi congregationis nostrae homines uti possunt, ea lege concedantur, ut procul omnino absint ea ludorum genera quae stulta, fatua, indecora variis populorum moribus ducuntur, quaeque nimium sumptus aut apparatus habeant, procul absit saecularium conjunctio et consortium, procul pecuniae cujusvis collatio, nec luctuosos dies aut paenitentiae addictos pertingant; nec magnam temporis jacturam pariant. Nullus denique absque permissu praelati genus ludorum aliqued invehere aut agere audeat: secus a praelato puniatur, multoque gravius, si eodem relabatur.

CAPUT V.

De poenis in eos qui illicitam negotiationem aliasque artes nonnullas exerceant.

Quidumque quaerens *quae sua sunt, non quae Jesu Christi* (Phil. II. 21.) mercaturam et omnem negotiationem qua clerici regulares vetantur exercuerit, prima vice deprehensus, si praelatus sit, regimine omni per triennium excludatur, si canonicus aut conversus claustro teneatur per annum, omnes autem pecunia et rebus quibus mercaturam fecerant statim priventur. Illicitam vero negotiationem praeter eas quae jure interdicuntur, intelligimus, quam aliquis nomine proprio, non autem canonicae susceperit, vel eam qua lucrum intendat, ut res vili emptas, carius vendere ac distribuere, pecuniam aut animalia etiam quaevis in societatem lucri causa conferre, praedia et bona alia conducere, et pecuniam sub usuris mutuam dare, nempe ut Augustinus loquitur *foenere pau-*

perem trucidare. (Aug. ad Maced.) Quod si canonici iterum aut tertio admoniti illiberali hujusmodi ac sordido quaestu non recesserint, *voce activa* et *passiva* priventur et ad omnia officia, gradus et regimina proferri nequeant usque ad capitulum generale; quin illud etiam sciant se communibus sacris ecclesiasticae disciplinae auctoritate arcendos. Conversi annuo carceri plectantur aut si abb. generali videatur religioso habitu in perpetuum exuantur si non fuerint professi. *Foenus* (mirificis s. Leonis papae verbis concludendum videtur) *autem hoc solum aspicere et exercere debemus ut quod hic misericorditer tribuimus, a Domino qui multipliciter et in perpetuum mansura tribuit, recipere valeamus.*

CAPUT VI.

De poenis in eos qui vetitum epistolarum commercium habeant, vel literas aliorum adulterent.

Cum, experientia rerum omnium magistra, plurima eademque gravissima in congregationem nostram profici sci possint mala ob epistolas a canonicis nostris vel commissis quae ad personas vel ordinis vel extra ordinem mittuntur, in quibus de rebus agitur congregationis nostrae, aut alicujus canonicae vel personae quae dedecus magis quam laudem progignant, et congregationis simul et canonicorum tranquillitatem turbant, aut religiosam caritatem subvertunt, hinc famae atque incolumitati tum universae congregationis, tum singularum etiam canonicarum et personarum quantum virium est nobis in Domino consulentes literas ejusmodi omnino evitandas expungendasque judicamus. Hinc praecipimus virtute s. obedientiae omnibus tam commissis fratribus, quam canoni-

cis, qui officia generalis vel procuratoris generalis vel visitatoris vel a secretis ordinis non gerant, ut epistolas in posterum mittere nequeant, quae bonorum administrationem disciplinam negotia caetera sive spiritualia sive temporalia congregationis, canonicarum aut personarum respiciant, vel quae in laudem ant decus congregationis, canonicarum et personarum facta insectentur levia quidem sed quae scandalum fovere possint. Quare literas ejusmodi neqne conscribant neque aliis conscribendas committant sive ad personas ordinis nostri sive saeculares, nisi ad abbatem generalem, procuratorem generalem visitatores et ad enm qui est a secretis ordinis. Praecipimus insnper eadem s. obedientiae vi ac virtute ut qui hasce literas acceperint, proprio praelato ostendant aut, si praelati sint, proprio visitatori. Volumus autem ut violatores hujusce legis qualibet vice si sacerdotes sint, suspensionis poenam ipso facto per mensem expendant, si vero nondum sacerdotio ornati, aliam in qua multum severitatis sit, a proprio praelato perferant. Nemo cujuscumque gradus aliorum epistolas intercipere audeat, vel aperire, exceptis subditorum suorum literis, sub poena privationis *vocis activae* et *passivae* per annnm, praeter poenas alias quas sacri canones et pontificiae bullae contra delinquentes ejusmodi edixerunt. Qui vero literas a superioribns ad subditos vel a subditis ad superiores missas interceperit aut legerit aut detinnerint, si sit praelatus vacet a praelatura per annum, si canonicus subditus, *voce activa* et *passiva* biennio careat; si conversus habitu professionis suae per sex menses exnatur et gravius etiam abb. generalis judicio in eam rem animadvertetur. Nullus epistolas alicui dedecoras exaret vel exarandas curet, sub poena canonicis praelatis ao subditis privationis *vocis activae* et *passivae* per quinquenuium. Conversis vero hujusce rei convicti professionis suae habitu per quinquen-

nium ipso facto priventur. Nemo etiam accusationem aut infamiam per literas quasi venenata tela in aliquem injiciat canonicum sive conversum apud capitulum generale, vel apud alios quoscumque nisi idoneos testes et incorruptos, satis probabiles notas atque indicia adhibeat. Alioquin poenas abbas generalis decreto expendat. Si quis superiorum literas, aut aliorum qui in canonicae officiis sunt, aut personae alterius cujuslibet vel canonicae signatoris anulos et sigilla corruperit aut adulterarit falsitatis judicium et poenam subeat.

CAPUT VII.

De poenis in calumniatores.

Quoties aliquis crimen licet verum, at jure expiatum fratri suo objecerit, aut is praelatus sit aut subditus, trium dierum jejunium in hebdomada illa pane dumtaxat et aqua contentus servet. Si verum aeque crimen at contemptis fraternae caritatis legibus objecerit esurialem diem pane et aqua transigat. Si quis crimina in aliquem protulerit, aut cuipiam voce vel scripto dedecus aut infamiam pararit etsi nuncians ex auditu, nec quidquam ad scripti vel dicti probationem inducens, et silens a quibus eadem acceperit, is in carcerem per mensem detrudetur. Si famosos in aliquem libellos vel exararit vel ab alio exaratos sparserit et evulgarit alienae famae redintegrandae obstrictus, et *voce activa* et *passiva* decennio carens, in custodia sit ad nutum abbatis generalis. Si quis more accusatorio falsum in aliquem crimen intenderit, famam divitiis, thesauris pretiosisque unguentis optabiliorem (Prov.XXII.Eccl.VII.) restituat, quod si noluerit, et *actione injuriarum* condemnatus fuerit, puniatur ut supra, et ob haerentem sibi infamiae notam, omni ad dignita-

tes aditu prohibeatur. Si autem verum attulerit crimen, sed minus firmis probationibus usus *voce activa* et *passiva* careat donec innocentiam suam declararit. Si falsum in aliquem testimonium dixerit, famae reparandae tenetur; et si vix hujusce falsitatis convictus officio omni ac dignitate, et *voce activa* et *passiva* in perpetuum privetur, et pro rei gravitate in custodia etiam habeatur. Horum omnium gratiam nemo facere possit, nisi abbas generalis vel definitorium, in quibus etiam omnibus hoc semper maneat, qui conviciis, maledictis vel criminibus aliquem laeserit, injurias auferre ac iis satisfacere debere, etiam palam, si palam intulerit.

CAPUT VIII.

De poenis in maledicos et discordiosos.

Maledici, et mali cujuspiam imprecatores, severe ac palam a superioribus tamquam pestis nocentissima cohibeantur. *Si enim invicem mordetis* (ait Apost. Gal. V.) *et comedetis, videte ne ab invicem consumamini.* Correpti, si murmurationibus et maledictis non parcant, ab aliorum consortio dissocientur, silentium praelati arbitrio patiantur, neque ullus eos alloqui audeat. Eadem poena plectantur qui discordias serere tumultus concitare solent, omnes carpere et linguam quasi seditionis flabello omnia perturbare solent; si iterum, aut tertio correpti se cohibere, et os suum custodire noluerint, in custodia arbitrio praelati contineantur. Qui de ecclesiasticis vel laicis etiam principibus nefario ausu obgannierit et oblocutus fuerit, pro rei gravitate et superiorum arbitrio, severa admodum castigatione reprimatur. Quicumque alterius facta vel dicta aliorum auribus susurrator detulerit unde scandalum induci possit, aut discordias inter fratres dis-

seminarit, qualibet vice pane et aqua tempore communis refectionis jejune sit; iterum vero aut tertio eodem relapsus, gravius praelati arbitrio coerceatur. Eaedem poenae illis omnibus qui verba, iniquos turpes pravos sermones ordiatur et qui rerum publicarum eventus, consilia principum partium studio permotus effutiat, quae ampla dissidiis et contentionibus materies esse solet. Stirdeant praelati ut haec omnia a propriis canonicis quam longissime abeint et nulli rei parcant, ut subditi (quod tantopere commendat Apostol. Coloss. III. 8.) *Iram, indignationem, malitiam, turpem sermonem de ore suo deponant.*

CAPUT IX.

De poenis in blasphemantes.

Si quis (quod Dominus prohibeat) *aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus et tabernaculum ejus, et eos qui in coelo habitant* (Apoc. XIII. 6.) et *haereticalem*, quae vocatur blasphemiam effuderit abbati generali a quo coercitio pendeat, confestim denunciatur. Illae vero *haereticales* censentur, quae aut nefandam infidelitatis significationem habent, aut catholicae confessioni directe adversantur, ut abnegare Deum, fidem ipsam, sacramenta, b. V. integritatem et similia: si quis etiam quae haeresim saperent verbo aut scripto potuisse; aut maleficiis, incantationibus et similibus operam dedisse deprehendatur ne pestifera contagione caeteros perdat, abbati generali denunciari debebit. Si alias autem blasphemias neque tamen *haereticales* in Deum aut b. Virginem aliquis conjecisse convictus fuerit, per praelatos congregationis nostrae tamquam ordinarios judices puniendus erit. Prima vice, si praelatus fuerit, per annum officio et regimine excludatur, si subditus, careat voce

activa et passiva eodem temporis spatio: altera vice duplex eisdem sit poena; si tertio relabantur, officiis omnibus et dignitatibus et *voce activa* et *passiva* ipso facto in perpetuum priventur. Conversi corporalibus poenis carceris et similibus aequo jure subjiciant. Qui vero nomen Domini aut beatae Virginis aut sanctorum caelitum irriverenter et indecenter usurpaverit aut juraverit per Deum, vel sanctos, vel ad corpus et sanguinem etc. et similia alia jactarit, quae blasphemiae loco vulgo duci solent, prima vice semel palam in refectorio jejunet, secunda trium dierum jejunium patiatur; tertia relapsus puniatur poena canonis, in capitulo *si quis per capillum* 22. *q.* 1. *et in cap.* 2. *de maledicis;* praelati vero delinquentes subditos ad praescriptum praesentium constitutionum monitis et castigationibus cohibere teneantur, decretisque s. Inquisitionis obtemperandum suis subditis edicant. Retineatur demum ac observetur constitutio sacri concilii Tridentini cujus verbis sententiam hanc nostram magis magisque declarantibus quam libenter hic quoque subscribimus. Ea autem sic habet sess. 4. « Post » haec temeritatem illam reprimere volens, (*s. Synodus*) » qua ad profana quaeque convertuntur et torquentur » verba et sententiae sacrae scripturae, ad scurrilia sci- » licet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones impias » et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos » etiam famosos, mandat et praecipit ad tollendam hu- » jusmodi irreverentiam et contemptum, ne de caetero » quisquam quomodolibet verba sacrae scripturae ad haec » et similia audeat usurpare, ut omnes hujus generis ho- » mines temeratores et violatores verbi Dei, juris et ar- » bitrii poenis per ordinarios coerceantur. »

CAPUT X.

De poenis in incontinentes.

Illi ex nostris canonicis qui incontinentiae et libidini (quod Deus avertat) indulgentes *inter sanctum et profanum non habuerunt distantiam, et inter pollutum et mundum non intellexerunt* (Ezech. XXII. 26.) vix convicti et regimine omni *voce activa* et *passiva* decennio carentes, bimestri simul custodia mancipentur, et per annum semel in hebdomada in pane et aqua jejunent. Conversi quoque bimestri custodia cohibiti professionis habitu decennio careant et per annum semel in hebdomada eodem jejunio puniantur. Si quis ex hoc crimine graviter infamia laboret neque tamen convinci possit, canonica purgatio ei indicenda erit, et si in ea defecerit convictus praedictis poenis habeatur. Quarum autem nemo gratiam facere possit nisi totum definitorium. Accusanti tamen ultrò se ipsum, proprii praelati vel etiam abb. generalis arbitrio poena aliqua ex parte relaxari et imminui possit.

CAPUT XI.

De poenis in percussores.

Si quis subditum aliquem in nostra congregatione percutere minatus fuerit, custodia per mensem cohibeatur; si leviter percusserit colaphum, alapham aut calcem impingens trimestri custodia contineatur, si lapide vel ligno laeserit, semestrem custodiam subeat quamlibet feriam sextam pane et aqua contentus jejune transigat; si autem arma antea minatus infesto animo detulerit semestrem custodiam patiatur, si armis percusserit maneat in carcere per annum; gravi autem percussione ac vulnere,

gravius ad juris normas puniatur. Quod si audaces praelato manus inferre eminatus sit, vel eum etiam percusserit, duplici juxta praedictas normas poena afficiatur. Qui subditum vel praelatum occulte verberarit, ubi ex probabilibus indiciis infamia adspergatur, ad *canonicam* purgationem vocetur tribus testibus sui ordinis *bonis vocis et famae* in qua si defecerit, tamquam de crimine convictus poenas luat. Qui laicum saecularem ictibus laeserit, pro rei gravitate castigetur poena duplo minori et aequa ad supradictas poenas ratione.

CAPUT XII.

De poenis in contumaces et a correctione appellantes.

Si quis proprio praelato aut etiam vicario dum corripitur audaci protervoque ore respondere ausus fuerit, semel pane et aqua palam in refectorio jejunet, et si audaciae hujusmodi assueverit, ita corripiatur, ut elatam cervicem subjicere et demissionem quae religiosum hominem decet, ediscere possit. Cum ad levem aliquam culpam carpendam, aut ad humilitatis et patientiae virtutes exercendas paenitentia alicui injungetur, nullus etiam si allatae illuc culpae inconscius et innoxius sibi videatur, a correctione appellare audeat; quod si fecerit, quamlibet sextam feriam per annum pane et aqua jejune agat, et *voce activa* et *passiva* triennio careat. Si gravius tamen quam par est oneratum, famaque corruptum se se existimarit, minime prohibetur appellatione et confugio ad superiores dummodo ab aequitate ac mansuetudine ne latum unguem discedat. Quod si appellatio arrogantiam et contumaciam praeseferat praedictam poenam contrahat. Ut vero subditorum indemnitati qui se se a praelatis ma-

Digitized by Google

le mulctatos senserint, opportune prospiciatur, id decernimus ut quicumque a praelato proprio ad congregationis moderatores appellare voluerit, literas ad ipsos quae humilem querelam habeat ipsi praelato coram duobus vel tribus testibus praebeat et praelatus ipse teneatur easdem ad superiores statim recta fideliter transmittere: interim vero nihil in talem subditum innovetur. Et quorum, incentore malorum omnium daemone, sunt nonnumquam in canonicis, qui obedientiam, non modo, regularemque castigationem refugiant, sed contra superiores etiam callidas simultates exerceant et foveant; si quis aliquem a debita erga praelatum obedientia atque observantia consilio praesidio aut favore avertere studuerit, convictus, si praelatus fuerit, vacet a praelatura per annum, si subditus canonicus *privetur voce activa et passiva* per triennium, si conversus dimisso per annum professionis habitu semestrique claustro detentus poenas dabit.

CAPUT XIII.

De poenis in eos qui congregationem exteris submittere vel aliquid contra eam impetrare studuerint.

Qui congregationem nostram auctoritati cuilibet, aut personae extra illius gremium existenti aut omnino aut aliqua ex parte subjicere conatus sit, criminis specie et gravitate inspectis abb. generalis aut definitorii sententiis magna cum severitate puniatur. Qui confictis narrationibus nomine congregationis aliquid constitutionibus et consuetudinibus nostris contrarium a sede apostolica impetrare tentaverit, cum juxta canonicas leges hoc pacto impetrata subreptitia nulloque robore firmata judicentur, omni gradu, officio ac dignitate, *voce activa et passiva* privatus sit, quandiu per capitulum generale poenae ejus-

modi gratiam consequatur. Abbas vero generalis, et procurator generalis, et visitatores sanctissimum d. n. de subreptione hujusmodi, ementitoque nomine quamprimum poterunt certiorem facere teneantur.

CAPUT XIV.

De poenis in eos qui congregationis secreta, vel culpas hominum ordinis nostri revelarint.

Cum nihil tam impium sit, quam parentis omnium congregationis turpitudinem ostendere: = *Mater tua est non revelabis turpitudinem ejus:* = (Levit.XVIII.7.) si quis occulta nostrorum quorumvis culpas alicui extra congregationem existenti detegerit vel nostri cujusvis crimina ad judicium hominum, sive saecularium, sive eorum qui ad congregationem ipsam minime pertingunt, directim vel oblique adduxerit, aut inquisitionem vulgo *processus* adversus religiosos nostros habitam aut ejusdem exemplaria tradiderit, vel tradenda curarit, aut alio quovis pacto causam occasionemque praebuerit cur aliqui nulla in congregationem nostram jurisdictione praediti in nostrorum tamen inquisitionem subrepant, vel se se immittant crimina explorantes aut perscrutantes aut ad propria judicia perferre satagentes, is, gentis suae proditor, communis utilitatis et salutis desertor, se se officio omni dignitate ac regimine reipsa dejectum intelligat, nec nisi per totum capitulum generale et per occulta suffragia in pristinum redintegrari possit. Qui occulta congregationis negotia quae praesertim in capitulis generalibus, vel dietis, vel in capitulis canonicarum agitantur, alicui qui extra congregationem fuerit, congregationis ipsius detrimento et injuria revelaverit, graviter pro rei gravitate puniatur, si sacerdos

divinis prohibeatur praelati arbitrio, si nondum sacerdos, alias poenas praelati judicio persolvat.

CAPUT XV.

De poenis in proprietarios, et fures.

Si quis pecuniam, vestes, libros, aut aliud quodcumque pretio esse possit occulte apud se vel apud alios congregationi exteros absque permissu retinuerit, nec praelato significaverit saltem post adhibitas generales commonitiones ut consuetudo congregationis nostrae habet, tanquam voti violator severe puniatur, rebus ipsis statim privetur, et per sex menses claustro ac silentio teneatur. Praelati ipsi quidquid pecuniae aut aliud aestimabile apud se vel alibi habeant visitatoribus tempore visitationum aperte revelare teneantur: secus officiis et praelatura triennio vetentur. Si quis autem pessima obdurescens consuetudine, pecuniae quae in *perditionem* sit, aut aestimabilium, quae non revelavit adhuc possessor morte intercipiatur, alienum, juxta canonicas leges, ab Ecclesiae sepultura locum habeat. Si quis pretium centussis, nempe hodie scutati furatus sit, carcerem per mensem patiatur: si pretium centussium duorum per duos menses, si trium per tres menses eadem poena plectatur. Si vero (quod vix mente concipi potest) pergrave patrarit furtum et civili judicio vindicandum, eidem ordine nostro indignus tradatur. Praelati hanc constitutionem nullo pacto infringi sinant; et ne crimina ejusmodi parvi aut impune habeantur, quotiescumque in suis canonicis aliquod furtum admissum sit, inquisitionem vulgo *processum* intendere, abbatem generalem et visitatores certiores facere debeant. Qui furti crimine vel gravi insimulatione et suspicione teneatur, nisi notam hujusmodi

a se depulerint, sciant se se per canonicas constitutiones infamia inustos, officiis ideo omnibus, gradibus et dignitatibus perpetuo arcendos.

CAPUT XVI.

De poenis in fugitivos et apostatas.

Si quis stulta levitate vel indignatione vel correctionis impatientia transversum actus e canonica aufugerit, et intra triduum reversus proprii erroris veniam postularit, recipiatur quidem, sed praelati arbitrio, jejuniis et secessione ab aliorum consuetudine et consortio castigetur. Si autem ad aliam canonicam infra idem tempus profugerit, in carcerem accipiatur, et de illius adventu abbas generalis vel propinquior ex visitatoribus certior fiat et ejus responsio expectetur. Idem observetur, si quis crimini obstrictus aufugerit et ad propriam vel alienam canonicam infra idem tempus reversus fuerit; at poena illi ob crimen oneranda est; si vero ultra triduum extra congregationem versatus sit, et professionis habitum non dimiserit, et infra mensem se se restituerit recipiatur, et ad errorem expiandum trimestri custodia affligatur; qui si canonicus fuerit *voce activa* et *passiva* triennio careat eoque temporis spatio ultimus sit illi inter canonicos locus. Si autem conversus habitu professionis per annum exutus sit et per tres menses sextam quamlibet feriam, in pane et aqua jejune agat. Si diutius mense extra congregationem etiam habitu servato versatus sit, nullus illum recipere possit nisi consensione abbatis generalis et definitorum omnium tempore capituli generalis vel *Dietae*, et receptus trimestri carcere afficiatur, et si canonicus sit postremus in choro et aliis publicis locis inter canonicos sui ordinis sedeat, *voce activa* et *passiva* decennio impos

extet: si autem conversus, bis in hebdomada in pane et aqua jejunet. Ubi defectionis et apostasiae consilio dimissoque habitu canonica discesserit, et extra congregationem ulterius mense pariter se se habuerit eandem poenam oppetiet, et si fuerit canonicus, praeter decennem illam poenam officio omni gradu et dignitate perpetuo excludatur, nec temporis procul a congregatione transacti ratio ulla habeatur inter annos religiosae professionis. Et si in communi hominum societate vivens, notam aliquam inhonestam contraxerit, annua custodia poenas luat, easdemque graviores etiam, si res postularit, perferre possit. Conversi vero cum nec *voce activa* et *passiva*, neque aditu ad officia et dignitates prohibeantur, annuum carcerem experiantur; quod nec abbas generalis, nisi communi definitorii totius consensione, condonare possit. Et nihilominus ne fugaces ejusmodi et apostatae e claustris prorupti congregationis dedecus alio inferant, abbates et generalis procurator et visitatores vi proprii officii, et alii locorum praelati illos diligenter inquirere et deprehendere studeant, et carcere, exuto religioso habitu, detineant, donec per definitorium in capitulo generali vel *Dieta* de illius poena constituatur. Apostatae vero in congregationis sinum ter recepti, si iterum, in proprium vomitum relabentes, defecerint, insanabilia omnino ingenia habeantur, et procurator generalis a supremi pontificis auctoritate eorum ejectionem imploret. Quod si ordini alteri ac sodalitati nomen dare velint, abbas generalis annuere poterit hac tamen lege, ut infra tres menses a die concessionis hujusmodi ordinem alium reipsa complectantur in quo regularis instituti vigeat disciplina, et illum de ingressu certiorem faciant sub poena *excommunicationis latae sententiae*, si infra illud tempus, cum legitimum impedimentum defuerit instituto alteri non se manciparint. Fugitivos et apostatas aut ejectos seu a congregatione dimissos, nullus con-

tra hujus constitutionis sententiam in nostris canonicis hospitii cibatus vel sermonis causa recipiat; verum si quid eis dicendum fuerit ad canonicae januam, vel in ecclesiae sacrario quam brevissime expediatur. Cautum vero sit nihil ex iis quae hoc capite de fugitivis et apostatis enunciantur detractum immutatumve censeri canonicis regulis quae in eam rem decretis praesertim summorum pontificum Urbani VIII. et Innocentii XII. et Benedicti XIV. sancitae sunt.

CAPUT XVII.

De poenis in eos qui insanabile ingenium praebuerint.

Quia prudentis est medici putrida membra, quae admotis artis illius opibus minime convalescunt, ne reliquum corpus inficiant, ferro abscindere: idcirco regulae nostrae et antiquae ordinis constitutioni obtemperantes, statuimus, ut quicumque ex nostris saepius de gravioribus et de gravissimis culpis convictus et punitus ad meliorem mentem non redierit, sacris communibus omniumque religiosorum consortio arceatur, quod si minus processit et a toto definitorio insanabilis judicabitur, ablato illi professionis suae habitu perpetuo carceri condatur, processu vel confecto romanum pontificem abbas generalis obsecret ut vulnus secans, degenerem ab instituto suo hominem e congregatione jubeat projiciendum. Si autem illius crimina in omnium notitia fuerint non solum nostrum, sed etiam saecularium, ita ut exteris scandalum et nostris pernicies ex ejus conversatione oriatur et a toto definitorio pro insanabili habitus fuerit, exuto similiter religionis habitu de nostra congregatione expellatur, quod salubris est exteris pariter et nostris exempli. Ita vero dimissus et ejectus in domibus nostris neque hospitium neque mensam

neque colloquia sortiri possit. Illi insanabiles ducuntur qui gravioris aut gravissimi delicti ter convicti et puniti, se se ad meliorem frugem non receperint, cujusmodi sunt crimen apostasiae percussionis fratrum furti avaritiae atrocis blasphemiae rebellionis proditionis et incontinentiae.



CONSTITUTIONES
CANONICORUM REGULARIUM
SS. SALVATORIS LATERANENSIUM

PARS QUARTA
DE CELEBRATIONE CAPITULI GENERALIS ET DE IIS QUAE AD IPSUM SPECTANT.

CAPUT I.
De generali visitatione congregationis.

Cum ad orthodoxae fidei incolumitatem haeresum extirpationem morum integritatem et castimoniam regularemque disciplinam in religiosorum hominum societatibus fovendam restituendamque nil praestabilius sit, quam congregationes ipsas ac sodalitates crebro et diligenter pervisere, ideo praecipimus, ut tota congregatio quolibet triennio, semel saltem, per visitatores ad hoc specialiter deputatos visitetur. Erunt autem visitatores congregationis, in primis abbas generalis, qui semel saltem in sexenne officii sui spatio ubi legitimum impedimentum non obsit totam congregationem visitare debebit; nec non et socii quatuor generali eidem per generale capitulum adsciti, quibus id muneris peculiariter inerit, unde congregationis visitatores appellantur. Abbati autem generali visitationem suscepturo optio fiat, quos socios voluerit, advocandi. Si vero urgenti necessitate aliquis ex visitatoribus visitatione prohibeatur, abbas ipse generalis alte-

Digitized by Google

ri ex visitatoribus conjunctus illam perficiat, adeo ut duo semper ut magis reverentiae et auctoritatis sibi concilient, in visitationes se se committant. Verum ubi ipsum etiam generalem abbatem necessitas aliqua a visitatione obeunda impediat, tunc cum consilio visitatoris, cui socius erit adjungendus, praelatum aliquem vel subditum idoneum eligat, qui absentis visitatoris partes agat. Quibus autem canonicis visitandis quisque sit deputandus, abbatis generalis judicio erit.

Visitationes eo tempore agantur, quod magis opportunum esse videbitur. Visitationum acta fideliter diligenterque conscribantur, decreta praesertim, quae pro reformatione cujuslibet loci vel personae fieri continget, quorum exempla visitatores primi triennii sequentibus semper exhibebunt, ut ea appareant quae ad disciplinam instaurandam allata essent, et an ad finem suum perducta fuerint. Haec visitatoribus praesertim ante oculos obversentur, ad quae visitationes praecipue intendunt, orthodoxae nimirum fidei tutela inter nos et custodia, errorum omnium profligatio, regularis disciplinae ad regulae et constitutionum praescripta instauratio, repressio perduellium et contumacium. Est visitationum praeterea infirmos ac segnes ad virtutem additis stimulis concitare, jacentes atque oppressos erigere, paterna omnes charitate complecti et spirituali singulorum aegritudini pro viribus mederi. Cum ad alicujus canonicae visitationem accedent peramanter et honorifice suscipiantur et ecclesiam statim ingressi, almum Eucharistiae sacramentum prius humiliter adorent, et postquam luminum patrem imploraverint ad hospitia se se recipiant. Capitulum interim tintinnabuli sonitu de more congregetur, eoque congregato, major ex visitatoribus brevi allocutione visitationis causam et finem significabit, omnes simul exhortans ut singuli qui coram Deo interrogati fuerint in res

et personas illius canonicae vera eloquantur, et si quid depravatum detortum obsoletum in capite vel in membris ejusdem canonicae vel in rebus et bonis spiritualibus et temporalibus occurrat, procul ab omni odio et simultate visitatoribus ipsis sincere et fidenter aperiant. Promittent visitatores, quae ex interrogationibus elicient neque verbis neque scripto alicui se revelaturos. Postea ad ecclesiam visitandam proficiscantur, exordio a sacramento Eucharistiae desumpto, ibique oratione praehabita, thure incenso cum superpelliceo et stola decantatoque hymno *Tantum ergo* consuetaque oratione, omnia quae ad illius cultum et honorem pertineant, summa cum diligentia inspicient pixidem custodiam tabernaculum. Exinde ad visitationem aliarum rerum ad ecclesiam spectantium procedent, ut altaria venerabiles sanctorum reliquiae icones, et si ecclesia parochialis sit, fons lustralis oleum cathecumenorum infirmorum et chrisma: postea ad sepulcretum (*cimitero*) procedent, rationem cujusque rei et qualitatem explorantes, et in visitationum acta describentes; et animadvertendo et innotando quaecumque indigeant et collatis simul actis visitationum praecedentis triennii, ut perspicuum sit an decreta praecedentium visitationum impleta fuerint. Ad *sacristiam* deinceps visitandam accedant, et de sacris vasibus codicibus indumentis omnique supellectili cognoscant, indices seu catalogos quibus perpetuae obligationes ostenduntur et num obligationibus ipsis tempestive ac plane satisfactum fuerit perscrutentur. Inquirent de eleemosynis etiam quotidianis quae missis celebrandis percipi solent cuique usui fuerint et utrum missae quibus addictae erant celebrentur: librum quoque inspicient quotidianae missarum celebrationis indicem harumque rerum omnium statum in visitationum acta referent.

In canonicam denique reversi, dormitorium vestia-

rium triclinium cellarium et singulas officinas particulares omnium sive subditorum sive praelatorum cellas omnemque supellectilem, tam communibus quam particularibus et privatis personarum usibus addictam similiter visitabunt; aedibus visitandis se se praebeant, an reparandae an reficiendae muniendaeque sint ut periculum omne amoveatur, et si opus fuerit, architectones structores et cementarios audiant, ut rem abbati generali deferant, a quo, (demptis necessitatibus) praelati omnes in fabricis atque aedificiis reparandis aut solo aequandis pendere debent. Videant etiam an in novis exstructis aedibus praelati propria insignia et stemmata adjecerint, quod a religiosa modestia discrepans benefactoribus congregationi exteris et earum aedium extructoribus concedi potest. Praelati qui necessarias instaurationes neglexisse deprehensi fuerint, ad abbatem generalem denunciati, praelatura aliisque officiis per annum careant, et gravius etiam in eos, si opus fuerit, animadvertatur. Codices etiam rationum computorum redditnum impensarum omnium canonicae totamque bonorum administrationem tam extra quam intra canonicam accuratissimae animadversioni subjicient, accitis etiam rei familiaris vel rusticae curatoribus, et inspectis cujusque canonicae redditibus non solum certis, sed etiam dubiis vertentis et praecedentis anni, inspectis etiam libellis seu inventariis bonorum tum mobilium cum immobilium, quorum omnium statum et qualitatem et quantitatem visitationum actis fideliter tradent. Hoc in visitationibus commendandum existimamus ne inter varia canonicae officia aliquis aliena invadat, ne praelati bonorum administrationi et pecuniae custodia, qua omnino prohibentur, ne procurator depositis se se ullo pacto immisceant; et sic de caeteris.

CAPUT II.

De generali disquisitione familiae.

Perfecta ecclesiae et sacrarii, officinarum omnium et supellectilis illius canonicae visitatione, visitatores in hospitale cubiculum se se colligentes, toti familiae dignoscendae et examinandae se tradant, idque per generalem disquisitionem omnes ad juramentum adigentes quo veritati manifestandae in iis quae jure et coram Deo rogati fuerint obstringantur. Examina singula ut abbati generali, aut aliis visitatoribus cum opus fuerit, exhiberi possint, adnotentur. Quae disquisitio ut ordinatim atque utiliter fiat, tum in res, tum in personas, duae series altera rerum, altera personarum praestituantur, in quas interrogationes incidere debeant. Prior rerum series decreta complectetur, ea imprimis quae reformationis causà ab anteacti triennii visitatoribus edita fuerunt, et de hisce inquirent an in triennii praecedentis visitationibus decreta aliqua prodierint, an illorum exemplar in canonica asservetur, an totaliter vel partim ad finem suum perducta fuerint.

Secundo regulam et ordinis constitutiones: in quibus investigandum sit, an in canonica regula ipsa, constitutiones nostrae, nec non RR. PP. decreta quae nostra interesse possint, an haec omnia, an statutis temporibus et diebus perlegantur, et ab omnibns fideliter observentur.

Tertio votorum observantiam, et in hisce perquirent, an inobediens aliquis in canonica versetur, audax in superiores, dissidiorum et seditionis concitator et fautor, incontinentiae ac libidini deditus, sermonibus suis scurrilis ac dissolutus, lucri avidus et *proprietati* intentus, pecuniam aut pretiosum alind apud se aut apud alios

occultans, et in ea omnia offendens, quêis votorum integritas laedi possit.

Quarto divina officia et missarum celebrationem; et in iis interrogabunt, an quolibet die in choro statis horis divina officia *conventualiter* recitentur, an aliquis tamquam divini officii negligens in suspicionem inciderit, an quotidie missa *conventualis* decantetur aut saltem recitetur? An sacerdotes singuli sacrum frequenter peragant, an officia et missae quibus canonioa tenetur revera persolvantur. An sacerdos aliquis in missa dicenda eum sese praebeat, qui populis vel scandalo vel admirationi esse possit.

Quinto frequentiam sacramentorum paenitentiae et Eucharistiae, diebus jam alio capite praescriptis. An clerici aliqui aut conversi aut oblati ipsi communioni generali intersint, an aliquis vituperari soleat eo quod ad paenitentiae sacramentum raro confugiat.

Sexto curam aegrotantium et senum: et in iis cognoscent an sit in canonioa certus infirmorum valetudini curandae locus idemque saluberrimus omnique necessaria supellectili instructus, an aliqui saluti infirmorum spirituali praesto sint; an quidquam corporali etiam restituendae ac fovendae desideretur. An valetudinarii praefectus, infirmorum curator, et famulantes alii benignitatem et caritatem unquam obliviscantur, medicamina omnia praescripta suppeditentur, an medici aliique valetudinis curatores statis horis infirmos visitent, et omni ope solentur. An iis etiam, qui senio conficiuntur consultum sit.

Septimo literarum studia, et de his perquirent, an lectiones ordinariae pro varia locorum consuetudine, et a quibus habeantur; an repetitionum et disputationum exercitatio juxta receptam scholarum methodum in scholis obtineant; an praelati lectionibus ac disputationibus ipsis crebro adsint; an in singulis locis casus conscientiae recitentur; quibus canonici interesse debeant, an de iis in-

ter se conferant. An extra studiorum curriculum canonicis ea institutio sit, quae variis illorum officiis adimplendis necessaria existimetur.

Octavo honorum temporalium administrationem, et in iis interrogabunt, an prudenter fideliterque administrentur, an magni sumptus fiant, iidemque convivales et profani aut saecularibus recipiendis et cum canonicarum detrimento, an praelati immediate per se ipsos quod tam saepe et tam graviter iis vetuimus, bona canonicarum administrent, et pecuniam apud depositarium manentem attingere auserint, canonicam aliquam absque generalis permissione acceptarint, vel in propria reparationes necessarias omiserint; an sint in canonica ratiocinatores, seu computorum revisores; an singulis saltem mensibus libros computorum et redditus atque expensas animadvertent. An praelati bona mobilia et immobilia frequenter visitent; an canonica gravi lite aliqua conflictetur, et quo tempore, et a quibus illa suscepta fuerit; an canonicarum jura mature ac strenue defendantur, an scripturae syngraphae, et archivium omne diligenter custodiantur.

Series altera quae personas profert, hosce praesertim respiciat, primo visitatores anteacti trienni, et de iis cognoscere studeant visitatores an exacto anno munere suo diligenter functi fuerint; an illas, quae nunc fiunt, interrogationes habuerint, an odio vel alia causa permoti aliquem onerarint: an praeter tributa vel *taxationes* illis debitas aliquod donum acceperint.

Secundo praelatum loci, de quo sciscitentur an verbo, et exemplo talis sit, quem regula et constitutiones postulant: an divinis officiis et communi refectioni cum aliis frequenter intersit, an peculiari re aliqua praeter communem usum congregationis in victu aut vestitu utatur; an infirmos frequenter visitet, et eos medicamentis

omnique ope juvari conetur, an aliquem in sua canonica eo habitu eaque morum consuetudine uti sinat ex quibus scandalum aut dedecus possit suboriri; an regularem disciplinam in canonica foveat, tueatur; an mansuetudinem gravitati et justitiae conjunctam erga omnes aeque, nulla hominum acceptione, conservet.

Tertio vicarium, et de eo quaerant, an dotibus omnibus juxta nostras constitutiones expetitis praeditus sit; an muneri suo praesertim in iis, quae chori et ecclesiae officia spectant, solerter et in exemplum respondeat.

Quarto lectores, et de iis cognoscant an sedulam assiduamque operam informandis discipulis navaverint, an ordinarias lectiones et illarum repetitiones nullo impedimento prohibiti intermittant, an eorum doctrina probatissima atque utilis sit, quinam libri et quae methodus vigeant in theologicis praesertim disciplinis.

Quinto disoipulos, et de iis animadvertant an litterarum studiis animum ac vires adjiciant; an lectionibus repetitionibus et disputationibus assidue intersint, an sint aliqui scientiis quae *speculativae* dicuntur vel facultati illi, cui operam dabunt, minus idonei. Demum in aeconomum procuratorem et alios de iis, quae ad cujusque officium spectabunt inquirere poterunt, ac de tota generatim familia in capite, et membris, an in canonica regularis disciplina ab omnibus retineatur, an aliquod malum vel scandalum extet cui occurrendum sit. Quod si grave aliquod scelus vel scandalum admissum esse ex hujusmodi generalibus inquisitionibus deprehendatur, sciant patres visitatores peculiarem inquisitionem et *processum* iterum eos debere conficere, testes iterum advocando, reum conveniendo, neque alia opportuna servato juris ordine *quoad substantialia*, praetermittendo. Caveant autem diligenter ipsi visitatores, ne accusationes et testimonia, quae contra quemlibet sive canonicum sive con-

versum inducentur, ullo pacto verbo vel scripto revelent, exceptis abbate generali, procuratore generali et visitatoribus; secus si nomina vel cognomina accusatorum aut testium scripto voce vel indicio aliquo ostendant, per annum ab officio visitationum suspendantur.

CAPUT III.

De visitationum exitu.

Peracta visitatione absolutoque generali examine, si quid correctione indigere deprehensum fuerit, visitatores ipsi communi consensu prudentique consilio de opportunis decernent. Si vero discrepantes in ea re sententiae fuerint, tertium eligant, sibique in ea deliberatione adjungant illudque ratum habeatur, et fiat quod a duobus fuerit definitum. Decreta vero, quae reformationi dabuntur scripto redigant, et authentica illorum exempla praelatis locorum relinquant. Studiosissimi autem in primis sint caritatis et concordiae tum inter se, tum inter alios, sive subditos, sive praelatos, necnon et praelatorum auctoritatem, et apud subditos existimationem ac reverentiam foveant. Ac ne ob nimiam visitationum diuturnitatem haud levia incommoda ac detrimenta canonicis incumbant, visitationes ipsas quam citius poterunt, ad finem perducere nitantur. Quare praedictis omnibus rite absolutis, capitulum rursus convocabunt, et singulorum culpis pro veteri consuetudine nostra exauditis, major ex visitatoribus unicuique salutarem irroget paenitentiam. Si vero ob peculiarem noxam aut scandalum admissum aliquis peculiari poena afficiendus sit, ea in capitulo coram omnibus manifestari et juberi debebit. Decreta pariter quae disciplinas corrigant, palam in capitulo legen-

Digitized by Google

da erunt. Ab omnibus deinde submissis genibus generalis proferatur confessio, cui a majori visitatore generalis absolutio impertietur. Cunctis postea assurgentibus et sedentibus sermo de regulari disciplina ab omnibus retinenda animique dotibus in dies augendis a majori eodem visitatore habeatur. Tandem eorum uterque canonicos et conversos singulos pacali osculo complexi, in Dei nomine ac benedictione alio proficiscantur.

CAPUT IV.

De subsidio viatico abbati generali et visitatoribus.

Quia necesse est abb. generali et visitatoribus, tum ob itinera, tum ob alias causas necessarias plures sumptus facere, a quibus canonicas nimium onerari nolumus, praecipimus, ut canonicae singulae certam pecuniae summam sive abb. generali sive visitatori cuilibet in capitulo generali a definitoribus attributam, vel pro tempore tribuendam abbati generali et visitatoribus ipsis, cum finis visitationibus adsit, statim persolvant. Si autem canonica aliqua tantam temporalium bonorum jacturam fecerit, ut tributo illi persolvendo impar sit, tunc de communi pecuniae collatione totius congregationis supplendum erit, quod etiam fieri debeat in aliis omnibus impensis, quas communis totius congregationis causa suaserit.

Abbas generalis et visitatores modico famulatu, et equitatu contenti sint, et visitationes celeriter absolvere studeant: qua in re nil consilio ac maturitati desit adeo ut si alicubi remedium aliquod ad utilitatem canonicae spiritualem vel temporalem afferendum sit, non inde prius discedant, quam inspectis diligenter omnibus illud adhibuerint. Praeter tributum, seu *taxam* praescriptam nihil omnino ab aliquo exigant, neque dono oblatum ac-

cipiant, sive alicujus personae nomine, neque immodicos sumptus in canonicarum detrimentum effundant. Contra facientes restitutioni obstringantur, et in capitulis generalibus puniantur.

CAPUT V.

De convocatione capituli et de jure interveniendi.

Quolibet sexennio erit capitulum generale, quolibet triennio erit capitulum triennale, anno autem qui capitulo generali praecedet, erit *Dieta* quae praeparatoria vocabitur. Abbati generali jus sit capitulum advocare semel cum ei placuerit in sexennio et illuc advocare debet procuratorem generalem et quatuor visitatores triennii. Nemini *voce activa* et *passiva* privato jus erit accedendi ad capitulum etiamsi pro certo habeat, sese in prima sessione absolvendum esse. *Dietae* praeparatoriae celebrandae jus habent abb. generalis, procurator generalis, visitatores primi et secundi triennii, et abbates ex generales. Ad capitulum generale in sessione qua abbas generalis eligitur, abbas generalis, procurator generalis, visitatores, abbates ex-generales, et abbates omnes sive de *gubernio* sive sine *gubernio*, jus habent. Sciant vero abbates omnes potiri jure interveniendi ad capitulum generale pro electione abbatis generalis, procuratoris generalis, et visitatorum tantum. In reliquis sessionibus jus habeant tantum abb. generalis, proc. generalis, et visitatores. Viatica suppeditabunt canonicae ipsae, quae capitulum *conventuale* ratione redditum habita, constituat.

CAPUT VI.

De generali capitulo quolibet sexennio celebrando.

Statuimus ut generale capitulum totius congregationis sexennio quolibet celebretur. Locum vero eidem praebebunt, nisi abb. generali et definitoribus aliter justa ex causa visum fuerit, canonicae nostrae s. Mariae in portu civitatis Ravennae, ss. Salvatoris Bononiae, et s. Mariae ad Cryptam puteolanam Neapoli; si autem alibi celebrandum erit, in *Dieta* ipsum capitulum immediate praecedente locus hujusmodi designetur. Qui itaque generali capitulo interesse debebunt, sabbatho immediate praecedenti dominicam tertiam vel quartam ab abbate generali statuendam post Pascha resurrectionis in loco ubi illud celebrandum erit, ni legitimo impedimento prohibeatur, omnes per se scilicet *personaliter* adesse debebunt: non tamen (si fieri possit) ante illud tempus, ne canonica quae capitulo locum praebet, sumptibus nimium prematur, exceptis ea in re abb. generali, procuratore generali et visitatoribus congregationis munerum suorum ratione. Omnes in capitulo generali suffragii jure praediti ad illud mature conveniant; qui autem legitimo impedimento carentes minime convenerint, a definitorio graviter puniantur. Si quis justa de causa capitulo interesse nequeat, eam literis significare teneatur. Fungantur tamen propria auctoritate praelati tam in spiritualibus quam in temporalibus, donec novus loci praelatus accesserit vel aliquem vices suas agentem miserit, vel scripto easdem alicui concrediderit, et hoc semper servetur sive dum generale capitulum celebrabitur, sive *Dieta*, sive praelatus ipse regimen resignaverit, sive ejus officium, expleto regiminis triennio, vacarit.

Nullus in capitulo generali jure suffragii impos, abs-

que peculiari abb. generalis permissu illuc accedat. Sed neque abb. generalis nisi necessitate efflagitante, permissum hujusmodi alicui concedat: excipiuntur conversi, quos praelati secum famulos adducent. Praedicatores vero lectores vel studentes, ad conciones et publicas disputationes habendas, quot quot necessarios viderit, advocare possit. Canonici tamen in capitulo generali jure suffragii destituti, si ex jussu aliqua de causa ad illud vocentur, ad tractatus, qui in ipso capitulo fient, non admittantur sine ejusmodi capituli generalis permissione.

CAPUT VII.

De iis quae a praelatis fieri debent, antequam e canonicis suis discedant ad capitulum generale profecturi.

Quilibet praelatus ad capitulum generale profecturus canonicam suam in spiritualibus et temporalibus ita disponat. Die aliquo antequam e canonica discedat, capitulo congregato, profectionem suam omnibus significet, et ab iis petat ut divinam opem ad ipsum generale capitulum obeundum sibi enixe comprecentur. Moneat etiam, ut singuli apud se cogitent, si quid habeant, quod in Dei gloriam, vel publica totius congregationis, vel particulari alicujus personae aut loci utilitate ipsi capitulo generali in Domino declarandum esse videatur. Si abbas generalis vel visitatores decreta aliqua tempore generalis capituli servanda illi dederint, vel transmiserint, palam legenda curet, et vicario aut ali cui vices suas, juxta hujusce constitutionis praescriptum detulerit, coram omnibus tradet, cui vicario aut pro-praelato curam totius canonicae in spiritualibus saltem demandet, donec expleto capitulo, ipse vel alius canonicae regendae affuerit. Praecipiet etiam,

ut tres missae antequam generale capitulum incipiat, *conventualiter* decantentur, prior de Spiritu Sancto altera de beata Virgine, tertia de divo patre Augustino, cum *collectis* pro praelatis et pro congregationis pace ac tranquillitate. Deinde cum vicario et ratiocinatoribus singulas canonicas officinas, et omnem illius suppellectilem cum inventario visitabit, incipiens ab ecclesia et secretario, et singula cum ipso inventario conferens, ut pateat an aliquid in inventario adnotatum desit, et singula officinarum praefectis coram vicario et ratiocinatoribus resignans. Ipsum autem generale inventarium apud vicarium maneat. Omnia deinceps deposita coram eisdem vicario et ratiocinatoribus inviset, ea quae praesenti probataque pecunia in depositarii manus committat, et ab ipso depositario singrapham quantitatis et qualitatis eorundem depositorum quae apud ipsum asservantur accipiet, illius et ratiocinatorum subscriptione munitum, quam ad generale capitulum afferre debebit, et clavem alteram capsae depositorum, quae apud praelatum ipsum esse consueverat, vicario resignabit.

Ea etiam quae alendae familiae in consequentem annum relinqui solent, cum iisdem vicario et ratiocinatoribus providebit; sive pecuniae sint sive frumentum vinum et oleum, sive aliud simile. Et omnium ac singulorum quantitate et qualitate adnotata aeconomo, aut aliis qui canonicae officia gerunt, resignabit. Singraphas illorum et ratiocinatorum manu subscriptas, ab eis acceptas, similiter ad generale capitulum afferre debebit. Postea rationum seu computorum codices canonicae cum eisdem ratiocinatoribus diligenter perscrutetur, redditus omnes, seu proventus, exitus, et impensas singillatim perpendendo, ex quibus libris summam, vulgo capsam appellatam, tam redditus et proventus, quam exitus et expensas distincte et fideliter continentem manu ratiocinatorum

obsignatam accipiet ad generale capitulum deferat, et deputatis per ipsum capitulum exhibeat. Mercatores et apothecarios, qui merces et cibaria canonicae praebere solent, coram eisdem ratiocinatoribus accersat, et collatis rationibus si quid eis solvendum erit, statim persolvet, et syngrapham verae solutionis et apochae, illorum et ratiocinatorum manu subscriptam accipiat, generali capitulo deferat; praelato deinde, qui in regimine illi succedet tradat, ut ad propriam canonicam et inter hujus scripturas referat.

CAPUT VIII.

De iis quae a praelato capitulari ad generale capitulum afferri debent.

Quilibet praelatus ut in capitulo generali propriae administrationis rationem praebere possit, haec ad capitulum generale secum ferre debeat: primo summam seu *capsam* omnium redditunm et expensarum cujuslibet anni propriae administrationis ex computorum libris fideliter exscriptam, et ratiocinatoris manu subsignatam: secundo summam depositorum omnium quae in canonica reliquerat, eandemque depositarii et ratiocinatorum manu pariter subscriptam; tertio summam omnium creditorum et debitorum propriae canonicae, praesertim quae in illius regimine contracta sint, eodemque modo subscriptam; quarto syngraphas mercatorum et apothecariorum, ex quorum apothecis merces, vel cibaria canonicis suppeditari solent, illorum et ratiocinatorum manu similiter subscriptas.

Nomina quoque canonicorum et conversorum et familiae totius in libello descripta secum afferet, adnotatis cujusque ordine statu conditionibus, ut haec omnia de-

finitores probe noscere, et unicuique opportune prospicere possint. Parvum etiam ferat canonicae sigillum neque ea pecuniae quantitate careat, quae par sit viatico et subsidio canonicae illi exhibendo, in qua generale capitulum celebrabitur, tum demum reditui, novoque praelato reducendo, habita in omnibus illius aetatis et dignitatis ratione.

Ne autem canonica, ut diximus, in qua capitulum generale celebrabitur, impensis nimium oneretur sed distributum onus levius cuique fiat, singuli ad generale capitulum convenientes, certam pecuniae summam in generali capitulo per definitorium pro tempore tribuendam, canonicae locum capitulo praebenti persolvant. Pecunia ejusmodi aeconomo procuratori canonicae illius tradatur. Nullus praeter abb. generalem, procuratorem generalem et visitatores et illos, qui antea abbatis generalis dignitate honestati fuerant, conversum vel famulum saecularem ad capitulum generale sibi comitem adjicere possit; caeteri, quos ad generale capitulum ire continget, soli abeant.

CAPUT IX.

De suffragiis non captandis.

Quia nullus debet honores sibi assumere, nisi tamquam Aaron a Deo vocatus, ideo pro veteri ordinis constitutione statuitur, ut nullus sive canonicus sive conversus votum alterius quaerat blanditiis assentationibus pollicitationibus aut per se aut alio adhibito, ut sibi aliquod regimen magnum vel parvum comparet. Qui haec ambitionis indicia ediderint, cum eo ipso quo honores aucupantur, honoribus indigni evadant, si canonici sint iidem convicti, regimine, omni dignitate, *voce activa* et *passiva* per triennium ipso facto, destituantur: si autem conversi,

Digitized by Google

professionis habitu per triennium exuantur; a quibus poenis nec abbas generalis etiam eos immunes reddere possit, quisque vero per duos contestes, vel tres testes honesta fama exornatos convinci possit.

CAPUT X.

De nonnullis tempore generalis capituli inviolabiliter servandis.

Feria II. post dominicam III. vel IV. a festo paschali in loco, ubi capitulum celebrabitur, missa sollemniter cantetur de Spiritu Sancto. Feria III. missa sollemnis cantetur de b. Virgine. Feria IV. missa sollemnis de d. p. n. Augustino cantabitur, cui tam abb. generalis et visitatores, quam caeteri omnes praelati et alii ad capitulum acciti adesse debeant.

Per totum capituli tempus omnes divinis officiis die noctuque intersint: silentium in dormitorio et refectorio statis horis ab omnibus religiose fiat. Ad mensam nullo strepitu ac tumultu, sed tranquille modeste et ordinate accedant: in mensa et in capitulo et in omnibus aliis locis suo ordine stent vel assideant. Contra facientes per abbatem generalem corripiantur, et ni se composuerint, acrius puniantur.

CAPUT XI.

Generales regulae in electionibus servandae.

Implorata superni Spiritus ope, ad electiones deveniendum erit, in quibus sequentes regulae inviolabiliter servari debebunt. Ac primo in electione quorumcumque superiorum, sive abbatum generalium, sive vicariorum et visitatorum, praelatorum, officialium et aliorum quorum-

cumque, ut recte omnia, et sine ulla fraude et liberrime secundum Deum peragantur, electiones ipsae fiant per tacita vota seu suffragia, ita ut eligentium nomina nunquam manifestentur, aut manifestari possint; alias electiones irrito habendae sunt. Ea sit electionum libertas, ut nullus metu, vel humano respectu adduci possit ad aliquem eligendum, et electores ipsi cum in locum convenerint, in quo electiones fieri debebunt, numine Divini Spiritus implorato, personas idoneas omnino eligant, libere adeo ut semper, quamdiu ad actualem electionem ventum non erit, valeant propositum, pro ut ipsis consultius videbitur, immutare.

Nullus suffragii jus habens in electionibus malitiose probroseque excludi possit, cum ipse electionis vim infringere valeat. Electiones omnes tam abbatis generalis et prioris generalis, quam procuratoris generalis visitatorum definitorum superiorum et aliorum quorumcumque, qui ad gradus dignitates et officia eligendi erunt, tam in capitulis et dietis generalibus, quam in capitulis particularibus aliisque conventibus, in quibus electiones hujusmodi fieri solent, canonice fiant, et nemo vere electus, neque ejus electio valida censeatur, nisi duae ex tribus votorum ipsorum eligentium partes interfuerint; alias irritae sint et electio iteretur. Quod si neque primo, neque secundo electiones hujusmodi ad canonicas leges exactae fuerint, tunc, et eo in casu, ad tertiam electionem deveniatur. Si autem post tertium scrutinium ex duarum partium suffragiorum defectu nondum electio habeatur, tunc duo illi tantum qui in tertio scrutinio plura prae ceteris suffragia obtinuerint proponantur, ut qui majorem ex ipsis suffragiorum partem tulerit, electus canonice habeatur et sit. Priusquam electiones incipiant constitutiones quae eligendorum dotes explicant, perlegendae erunt. Qui contra aliquem aliquid promovere voluerit, ante electionem ipsam

promoveat et arguat: peracta electione vero nulli animadversioni locus esse possit.

Ad officia gradus et praelaturas personae eligantur, quae animum ac vires ad regulam et constitutiones ordinis nostri adjicere possint, praesertim ad ea quae ad chori et ecclesiae officia victualia vestiaria valetudinaria respiciant; nullusque ad aliquod munus regimen aut officium eligi possit, illis dotibus destitutus, quibus regiminis sui aut officii munera per se ipsum laudabiliter exercere possit.

Eligendi ad publica et generalia officia ac regimina totius congregationis non solum sacris literis probatisque moribus exornati nullaque infamia perspersi sint, verum etiam prudentia sagacitate et sacrarum literarum peritia caeteris eminere videantur, juxta ordinis constitutiones; secus electio in irritum cedat. Cum aequum sit rationique consentaneum, ut qui insignibus iisdem merentur, eidem obsequuntur regulae, onera aeque subeunt, honoribus pariter et praelaturis fruantur, *abbatiales* dignitates et praelaturae viris pro congregatione egregie promeritis deferendae sunt: quoad *nationes* et jura ad easdem, vigeat quod a decreto card. Pacca sancitum est.

Electiones omnes praelatorum sive in *capitulo generali* sive in *Dietis* ita necessario per definitores semper perfici debebunt, ut si quis eorum decesserit aut absens vel aegrotus, aut aliunde impeditus fuerit, caeteri ex electoribus alium ejusdem congregationis abbatem idoneum, eorum arbitrio (qua in re conscientiam eorum volumus onerari) in defuncti absentis infirmi vel alias impediti locum sufficere possint.

CAPUT XII.

De regiminibus et praelaturis per abbatem generalem, visitatores et alios praelatos resignandis.

Vicario generali qui semper abbas erit de regimine illius canonicae in qua capitulum generale celebratur, abbas generalis genua ante illum humiliter submittens, proprii regiminis officium resignabit, praebens eidem vicario generali regulam et constitutiones ordinis nostri, librum quoque gestorum capituli generalis *Dietarum* et sigillum nostrae congregationis: qua abdicatione per vicarium generalem suscepta, ille de culpis omnibus in proprii regiminis officio admissis se ipsum demisso animo, incusabit. Deinde vicarii generali nutu assurgens a sinistris eidem assideat; abbate autem generali electo, visitatores, majoribus per ordinem incipientibus, coram eodem abbate generali propria pariter officia dimittent, et sic caeteri deinceps omnes praelati canonicarum, de propriis officiis et regiminibus exsequantur. Qui postquam officiis et praelaturis se se abdicarint, omnes sedebunt juxta ordinem proprio capite explicandum.

CAPUT XIII.

De officio publici tabellionis seu notarii apud capitulum generale.

Publicus apud capitulum generale tabellio seu notarius ille semper erit qui fuit a secretis dimissi nuper generalis; si autem non sit, tuno ab abb. generali renunoiante alter, cujus morum integritas officiique peritia commendentur, deligatur; cujus scriptis in omnibus ad con-

gregationem spectantibus intra ipsam congregationem juxta apostolicum privilegium omnimoda fides adhiberi debeat. Ad ipsum vero spectabit acta generalis capituli fideliter ac diligenter conscribere, distincte innotando ea, quae per totum generale capitulum fient, et distincte alia, quae per solum definitorium vel per alios judices aut officiales a capitulo et definitorio constitutos fieri ac decerni continget. Illius etiam muneris erit literas omnes capitulo generali seu definitorio oblatas legere, et quae alicujus momenti in iis occurrant, memorialis libelli forma adnotare, et toti definitorio expendenda porrigere; literis iisdem nomine generalis capituli vel patrum definitorum respondere, exemplaria constitutionum editarum a capitulo generali poscentibus praebere, et acta demum omnia et statuta per generale capitulum vel per definitorium facta, antequam ipsum capitulum generale absolvatur, coram omnibus legere.

Quaecumque vero per generale capitulum, vel per definitores in capitulo generali vel Dietis gesta et definita erunt, in libro ad hoc specialiter confecto per ipsum notarium fideliter integre atque ordinatim consignari debebunt, et quaecumque etiam alia, quae in particularibus congregationibus ad totam congregationem spectantia fieri continget, juxta ordinem temporum, quo ea gesta sunt. Liber autem ejusmodi apud abb. generalem semper manebit qui ne vitiari vel abradi aut alio modo depravari possit, abbas generalis ipse in primis advigilet. Ac ne liber ipse apud abbatem generalem amitti possit, alterum libri ejusdem exemplar authenticum fiat, illudque in archivio congregationis apud procuratorem generalem asservetur.

Singuli etiam judices a generali capitulo vel definitorio constituti, ut inferius dicetur, libellos earum rerum quae per eos decernuntur et fiunt diligenter comparent,

Digitized by Google

in quibus acta singula decreta et sententias distincte ordinateque scribant, eosque, generali capitulo absoluto, in manus ipsius publici congregationis notarii relinquant.

CAPUT XIV.

De electione abbatis generalis et procuratoris generalis.

Antequam abbatis generalis electio fiat, decantetur per vicarium illius canonicae, vel per seniorem, missa de Spiritu Sancto cum Gloria et Credo, cui omnes de familia canonicae omnesque capitulares intersint. Decantata solemniter missa, invocetur in ecclesia Spiritus Sancti numen, iisque orationibus vacent omnes, quae in libro exercitiorum spiritualium cann. regg. latt. prostant. Post haec omnes tum de familia canonicae, tum de capitulo per tintinnabulum excitati in locum capituli congregentur. Mensa capituli generalis habeat ante se *genuflexorium*: secretarius elata voce nomina eorum pronunciet, cui jus sit suffragia emittendi pro electione abb. generalis, et nomina eorum, qui actu intersunt ad electionem peragendam rationibus palam prolatis cur absentes ad capitulum generale haud se contulerint. Quo facto secretarius accedat ad abb. generalem eique comitetur usque ad *genuflexorium*, ubi hic submissis genibus coram omnibus humiliter se se ab officio abdicet, et sigillum officii sui in manus vicarii generalis tradat. Vicarius generalis erit semper abbas illius canonicae in quo celebratur capitulum generale; si autem praeses abbas non fuerit, vicarius generalis ille erit visitator, qui caeteris professionis ordine antiquior sit. Vicarius generalis totius capituli nomine, abdicationem ipsam et sigillum ab eo suscipiat, et si quae ei dicenda sint dicat. Tum abbas

ex-generalis surgens, locum suum adeat quem ex vi hujus constitutionis esse volumus toto capituli tempore, statim post visitatores et super omnes praelatos *conventuales*. Is itaque abbas ex generalis vi privilegiorum nostrorum, praesentisque congregationis hoc ipso die et hora semper absolutus intelligatur ab officio, et sic absolutum eum declaramus ab officio abbatis generalis, etiam si minus, quam per annum in eodem fuisset, nec actu sese ab officio abdicasset; a quo per sexennium vacare, nec ad illud quoquo modo, nisi sexennio elapso, rursum assumi posse decernimus. Eum tamen *vocem activam* seu jus ferendi suffragii in ipso capitulo generali habere volumus, atque etiam *passivam* in reliquis electionibus, excepto visitatoris officio ad quod munus proxime post eligi nequeat nisi necessitas aliud jusserit, et nonnisi expleto post *generalatum* triennio. His itaque peractis canonicus ab ex-generali abbate prius designatus, orationem de abbate generali eligendo quam secretarius ordinis prius perspexerit, latino sermone proferat: oratione habita quae in eligendi dotibus versabitur, cantores qui erunt postremi ordine professionis canonici hymnum *Veni creator Spiritus* etc. incipiant, quem caeteri per suos versus alterne decantantes in finem prosequantur; deinde cantores iidem dicant: ℣. *Emitte Spiritum tuum* etc. et caeteri omnes ℟. *Et renovabis* etc. Et vicarius generalis orationem dicat *Deus qui corda fidelium* etc. et responso ab omnibus, *Amen.* — *Exeant ii, qui non sunt de corpore capituli,* — dicat elata voce secretarius, qui erit idem secretarius abbatis ex-generalis. Clausis januis celebretur electio abbatis generalis ordine et modo sequenti. Vicarius generalis pervideat omnes ne voce in capitulo *activa* et *passiva* fruentes adsint et qui adfuerint, a secretario signentur. Tum praemissa generali confessione a capitulo recitanda, eos vicarius generalis absolvat dicens: *Misereatur vestri* etc.

et si quis (quod absit), aliquo excommunicationis vinculo obligetur etc. prosequatur: *et dispenso vobiscum super irregularitate*: postea dicatur denuo hymnus *Veni creator Spiritus* etc. et reliqua ut supra. Quibus peractis sonitu campanulae sedeant omnes.

Tunc duo antiquiores visitatores professionis ordine ad mensam disjunctam ab altera cui alii assidebunt, decenter praeparatam, cum capsula seu urna in quam schedulae suffragiorum mittantur, papyro et atramento ad scribendum electionis *processum* accedant: caeteris in ipso capitulo silenter sedentibus, unde nullus absque necessitate, et vicarii generalis licentia recedere audeat. Et quoniam vota seu suffragia, juxta decreta concilii Trid. tacita seu secreta esse debent, ita eligentium nomina numquam patefiant; electores singuli schedulas accipiant omnino similes, et unusquisque in sua schedula eligendi nomen inscribat, ita ut inter vocem *eligo* et *in abbatem generalem* ponatur nomen illius, qui eligitur. Schedulae hujusmodi, servato antiquiori professionis ordine, in urnam seu capsulam ponantur per electorem ipsum, cui praebebitur urna a secretario, cui semper comes visitator ultimus adsit. Suffragiis omnibus immissis, primus visitator inspiciat coram omnibus an schedulae sint numero pares cum electoribus ibi praesentibus, et si invenerit esse majoris vel minoris numeri quam sint capitulares ibi praesentes, illas statim comburat, et ad scrutinium rursus modo praedicto procedant electores, donec scrutinium canonice actum invenerint. Tunc primus visitator dicat: = *Placet ne vobis aperiri scrutinium*? = quibus respondentibus: = *Schedulas evolvat, et legat suffragia*, = si tot suffragia appareant quot sunt capitulares; et si duae ex tribus capituli partibus, in unius electionem congruerint, tunc electio canonica erit, secus iteretur juxta modum in superiori capite XI. de generalibus regulis in

electionibus servandis, praescriptum, et post tertium scrutinium observandum. Electione habita, si electus adfuerit, rogetur a vicario generali vel ab antiquiore visitatore, juxta ordinis professionem, si electioni assentiatur, et si negative, repetatur scrutinium, si affirmative, tunc suffragiis concrematis, (quod semper fieri debet) primus visitator electionis decretum sic exarabit: = *Ego N. N. vice praesentium capitularium eligo N.N. in abbatem generalem.* = Deinde immediate post decretum electionis subjungat: = *Invenimus quod N. N. in abb. generalem nominatus habuit N. . . . . suffragia, et ego N. N. decretum electionis firmavi: in quorum fidem, manibus nostris subscripsimus, et sigillo congregationis nostrae roboravimus, die . . . . .* = Hanc formam et ordinem in singulis electionibus inviolabiliter observari volumus et mandamus: factae diversimode electiones nullius momenti sint, et si quis alias, quam ut praemittitur, quovis modo quaesitoque colore induxerit, in excommunicationis sententiam ipso facto incidisse credatur. Tum electo eidem vic. generalis manum humiliter osculando, tradat sigillum *officii generalatus*; electus sit vere nostri ordinis generalis abbas, et pro generali abbate ex vi privilegiorum ordinis nostri praesentisque constitutionis tamquam ab apostolica sede confirmatus obsequenter reverenterque ab omnibus suscipiatur. Reclusa deinde capitulari aula electio omnibus significetur per supradictum decretum ad valvas aulae capitularis affixum, pulsentur interim tintinnabula, perfectoque a secretario càpituli *processu* verbali de omnibus et singulis ad electionem pertinentibus, et in capitulo peractis, cantores introducantur, et omnibus de canonicae familia accitis decantare incipiant: *Te Deum laudamus etc.* quo incepto canonici omnes processionis ordine in ecclesiam, junioribus praeeuntibus, se se conferant, subsequentibus capitularibus, postremoque abbate generali loco,

dum hymnus ipse prosequitur, quem in choro stantes perficiant, eoque expleto cantores ante altare dicant ℣. *Salvum fac* etc. et ceteri ℟. *Deus meus* etc. Deinde vicarius generalis subjungat, caeteris vicissim respondentibus: ℣. *Domine exaudi* etc. ℟. *Et clamor meus* etc. ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo N. abbati generali nostro, et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae ut, te donante, tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat. Per Christum.* etc. ℟. *Amen.*

Hisce habitis, ipsi abbati generali, in praestantiori loco sedenti, canonici omnes et fratres nostri humiliter et reverenter, flexis genibus, subjectionis et obedientiae indicio manum osculentur: queis ipse benigne susceptis peramanter benedicat, eosque dimittat, dicens: *Adjutorium nostrum* et cetera ut alibi dictum est. Quibus omnibus exactis, ejusdem diei mane, si fieri potuerit, alioquin post Nonam, vel statim post Vesperas eligatur per schedulas eadem ratione, quae antea descripta est de electione abb. generalis, eligatur, inquam, per schedulas procurator generalis ad quem eligendum satis erit ut partem dimidiam eligentium suffragia superent.

CAPUT XV.

De electione abbatum.

Vice-abbates in nostra congregatione numquam habeantur. Electio abbatum pertinet exclusive ad solum definitorium, constans abb. gen. proc. gen. et visitat. triennii. In eligendis abbatibus praeter ea, quae in capite de praelaturis diximus, hae praecipuae dotes expetuntur: sint nimirum sacerdotes nostrae congregationis professi, qui annos saltem duodecim in congregatione nostra expleverint,

Digitized by Google

in nullum crimen aut infamiam adducti de quibus canonice antea non se purgaverint, neque reddendis alicujus administrationis rationibus obnoxii, virtute ac meritis eximii, literis exornati, ii demum qui regulam et ordinis constitutiones, praesertim quae spectant ad officium chori et ecclesiae, et ad victualia vestiaria et valetudinaria observare, et ab aliis observanda impense curent, suique officii munera per se ipsos in exemplum reddant: qui hisce dotibus minime praestent hac dignitate prohibeantur. Abbates eligi possint in capitulo generali et in *Dieta* a definitorio tantum. Eorum electio fiat in vesperis capitulo praecedentibus. Candidatus ad hunc honorem proponatur tantum ab abb. generali et definitoribus. Honor hujusmodi adpetentibus et ambientibus hoc ipso immeritis denegetur, et si tales fuerint electi, irrito habeatur electio. Suspendatur a divinis ipso facto, qui pacto quolibet abbatis dignitatem pro se, vel directe vel indirecte postulare aut captare non erubuerit. Proposito candidato tacita suffragia requirantur a secretario ordinis, et ille abbas censeatur electus pro quo nigra suffragia tertiam suffragiorum partem non excedant. In dubiis scrutinium repetatur. Electus abbas certior de electione fiat epistola secretarii ordinis, nomine definitorii. Si electus delatae dignitati annuerit, tamquam abbas perpetuo habeatur, si abnuerit, numquam in posterum eligi possit. Electus abbas ac statim annuerit, omnibus quibus ornari solent abbates augeatur. Anulum deferat, pileum cum floccis nigris, crucem interius gerat, et pontificalia exercere possit, iisque omnibus privilegiis, quibus abbates a romanis pontificibus insigniti fuerint, praeditus sit.

Digitized by Google

CAPUT XVI.

De electione praelatorum de gubernio.

Quamquam dotes et conditiones, in capite de electione abbatum propositae, in omnibus etiam ad praelaturas quae vocantur *de gubernio* promovendis necessario requirantur; quia tamen non regimina omnia aequalia sunt, pp. definitores, locorum et personarum conditionibus diligenter inspectis, cuilibet canonicae eum praeficiant, quem ad eam moderandam magis idoneum judicabunt, idque praesertim in eligendis praelatis canonicarum, in quibus literarum studia vel tyrocinia extent; atque aureum illud monitum prae oculis in electionibus habeatur, ut si quis doctrina praestiterit a doctinarum exercitationibus minime divellatur, si sanctitate emineat, orationibus vacet, si autem prudentia se se probaverit, hunc hominibus regendis maxime idoneum arbitrentur. Et quia frequens praelatorum mutatio de canonica in canonicam gravissima incommoda spiritualia et temporalia canonicis ipsis progignere solet, veteri ordinis constitutioni subscribentes statuimus, ut qui semel alicui canonicae praefectus erit, triennio integro in regimine ejusdem perseveret, neque triennio ad aliam canonicam regendam nisi gravissima ex causa, et visitatoribus universis comprobanda transferri possit. Expleto vero proprii triennio regiminis, praelatus quilibet ab omni regimine et administratione per triennium vacabit, nec poterit quovis nomine aut praetextu, in eadem canonica vel alibi in regimine ipso et administratione confirmari, nisi ex peculiari permissione romani pontificis, quae premente dumtaxat necessitate possit implorari, necessitas non erit, si in canonica alter abbas defuerit. Quicumque vel directe vel indirecte in regimine confirmari studuerit, privetur

voce activa et *passiva* per sexennium, neque amplius in posterum ad praelaturas eligi possit. In electione omnium praelatorum haec ratio servetur. Quilibet in capitulo congregato, secretario excepto, nomen illius, quem eligendum judicaverit, et eligere voluerit, conscriptum in schedula ita complicata, ut legi minime possit, propria manu ponet in urnam in capituli mensa paratam. Collatis autem suffragiis, per visitatores fiat scrutinium ipsorum votorum, et quicnmqne canonice electus fuerit, ita ut dnas suffragiorum partes obtinuerit, reipsa electus habeatnr. Si antem prima electio canonica minime fuerit, ad alteram pariter deveniatur. Quod si neque secunda canonica evaserit, tertio experiatnr, ac illud deinde pro vere electo habeatur, qui pluribus suffragiis ornatur; etiamsi uno tantum suffragio caeteris praecedat. Si plures autem parem suffragiorum numerum sortiti fuerint, ille habeatur electus, qui prius caeteris congregationis nostrae institutum professus sit. Si electus a delato sibi munere sese abdicarit, tnnc si finis capitulo nondum adsit, praelatus alter supradicta forma subrogetur. Si finis capitulo jam datus fuerit, tunc abbas generalis cum consensn duorum visitatornm poterit, quem dignum arbitrabitur canonicae praeficere. Nemo vel directe vel indirecte ad praelaturas evehi nitatur sub poena privationis *vocis activae et passivae* per sexenninm; abbas generalis necessitati obtemperans electum qui munus detrectarit vi sanctae obedientiae ad illud compellere poterit. Electus tamquam *ordinarius*, ut inquiunt, in canonica habebitur, eique *ordinario* subjicientur omnes, qui de constituta familia erunt, non illi autem, qui in eadem canonica extra hujus familiam degant. Retinenda etiam *nationum* jura tum ob consuetudinem a constitutione rhenana observatam, tum ob praescriptum cap.I. antiq.constitutionum lateranensium.Et diserte declaramus, jus praelaturarum, ac guberniorum

Digitized by Google

cujusque canonicae nationalibus earundem canonicarum esse adjudicandum, quibus etiam canonicis singulis propria bona integre inviolateque volumus custodiri. Si infra triennium praelatus aliquis gubernium gerens e vita migravit, vel alia de causa a suo munere cessaverit, statim vicarius munus idem capessat donec abbas generalis alium modo superius adducto praelatum elegerit, id est cum consensu duorum visitatorum, quae electio usque ad primum capitulum celebrandum valebit.

CAPUT XVII.

De electionibus praedicatorum, et praefecti studiorum.

Deligendi ad sacras conciones per abbatem generalem, vel alium ex definitoribus toti definitorio proponantur: Exhibeantur deinde definitorio ipsi literae praefecti studiorum, et propriorum praelatorum testimoniales eligendorum dotibus testimonium praebentes, diligenterque animadvertatur, an candidati omni quae expeti potest doctrinae ac virtutis laude praediti sint. Si quis aliqua ex illis dotibus destituitur, rejiciatur, neque destituto gratia hujusmodi fieri possit. Qui dotes quaesitas sortiti fuerint, singuli definitoribus proponantur, et de singulis secreta suffragia ferantur: qui duas ex tribus suffragiorum partibus obtinuerit, electus habeatur; qui vero saltem duas ex tribus partibus, ut praemittitur, non obtinuerit, rejectus pronuncietur. Singuli vero per definitorium ita electi, iterum toti generali capitulo proponantur, et si major pars capituli assenserit, praedicatores a tota congregatione habeantur, et consensus ab ipso capitulo viva voce editus, absque secreto suffragiorum scrutinio satis sit. Eligendorum conditiones in secunda parte

harum constitutionum expositae capitulo XIV. de praedicatoribus requirantur. Semel autem a sacrorum concionum ministerio repulsus, iterum patribus definitoribus eligendus minime proponi possit, nisi in disciplinam theologici studii traditus biennium saltem perfecerit, et nisi a praefecto studiorum per novum doctrinae periculum comprobatus, testimoniales literas ab eo subscriptas jurejurando firmatas et doctrinae testes proferre possit. Demum juxta ea, quae in secunda parte capituli de praefecto studiorum traduntur, studiorum praefectus pro tota congregatione, ab ipsis definitoribus eligi debebit forma aliarum electionum observata, quae tamen electio caeteris antecedat.

CAPUT XVIII.

De distributione familiarum totius congregationis.

Munus distribuendae familiae congregationis per singulas canonicas ad abbatem generalem et quatuor visitatores triennii anteacti praesertim spectabit, quippe qui singulorum locorum conditionem, atque hominum dotes probe noverint. In ejusmodi vero distributione illud in primis servandum erit, ut in canonicis singulis is tantum adsignetur personarum numerus, qui vel ex propriis canonicarum redditibus vel ex consuetis eleemosynis omnia quae ad victum et vestitum usui sint, minime desiderare possint. Distributores familiarum nniuscujusque canonicae familiam ita constituant, ut communi concordiae et charitati inter praelatos et subditos, regulari disciplinae et ecclesiarum cultui consultum sit, et locorum ac personarum conditionibus inspectis, quilibet ei canonicae deputetur cui magis utilis videbitur. Devitentur frequentes mutationes, quae non nisi ex justa causa et pernecessaria

fieri debeant, cum canonicae superfluis sumptibus inde onerari soleant, et regularis disciplina laxetur. Praelatus quilibet antequam e capitulo discedat, vel alter loco ipsius absentis, elenchum familiae propriae canonicae per abb. generalem triennii anteacti registro descriptum et illius manu subscriptum, nec non sigillo minori abb. generalis signatum accipere debeat. Singularum autem familiarum canonicae cujuslibet catalogus in libro particulari descriptus, apud abbatem generalem pro tempore existentem manere debebit.

CAPUT XIX.

De nonnullis privilegiis abbatum generalium et visitatorum et praelatorum, qui propriis officiis se abdicarint.

Quicumque officio abbatis generalis functus fuerit, si visitator postea eligatur, aliis omnibus visitatoribus praecedere debebit; si plures visitatores abb. generales antea extiterint, ille praecedat, qui antiquius habitum in congregatione susceperit. Si postquam abbas generalis ab hoc officio se abdicarit nullum regimen habuerit, sit praelatus, ut vocant *de titulo; vocem activam* et *passivam* habeat in omnibus capitulis generalibus, et ipsis interesse possit et debeat, et cum illius consilio quae spectant ad regimen totius congregationis pertractentur: quem voluerit nostrae congregationis sacerdotem confessarium sibi eligere possit, et conversum etiam, qui in omnibus ipsi inserviat, in quem tamquam proprius illius praelatus omnimodam jurisdictionem habeat, cui converso per praelatum loci, in quo existet, in omnibus quae ad victum et vestitum pertinent consulatur. Possit etiam sibi quam voluerit canonicam deligere, in qua tranquillam Deoque de-

votam vitam agere possit. Qui visitatorum officio functi fuerint postquam ab eodem se se abdicarint, si ad nullum regimen assumantur, similiter praelati titulares habeantur, *vocem activam* et *passivam* habeant in capitulis generalibus, caeteris praelatis extra eorum residentiam praecedent, conversum sibi famulantem eligere possint, et privilegiis praelatorum forensium gaudeant. Praelati qui in aliqua canonica insignia pontificalia gesserint, cum a praelaturis vacabunt, caveant ab iis quae abbatibus de regimine competunt. Canonici ipsi a praelaturis vacantes, in villis vel alio modo extra claustra minime commorentur, nisi sint officiales canonicarum consueti ac necessarii; secus facientes a visitatoribus tempore visitationum severe corripiantur; teneantur etiam chori et ecclesiae officiis diu noctuque interesse; alias ad gradus officia et dignitates in congregatione numquam accedere possint.

CAPUT XX.

De exitu capituli generalis.

Ne ex nimia generalis capituli prorogatione, tota congregatio gravi impendio subsit, curabunt in primis abbas generalis ac patres caeteri, ut quam citius fieri poterit, ipsum generale capitulum absolvatur, ut supra dictum est, ita tamen ut in gravibus negotiis nihil temere nil festinanter, sed omnia ex consilio et maturitate peragantur. Omnibus vero rite justeque persolutis, conventu demum advocato, abbas generalis, singulis locorum praelatis coram se genuflexis, literas patentes capituli ad suas canonicas, nec non sigillum canonicae cum pecunia viatica a praedecessoribus deposita praebens dicat: *Accipe pater insignia officii ac regiminis tui, et stude, ut*

gregis tibi commissi ita curam habeas, quatenus cum eo vitam merearis aeternam. Per eas autem patentes literas significabit electionem de singulis canonice habitam in praelatos singulorum locorum, et canonicos eorundem locorum, atque ut ipsis tamquam veris praelatis in omnibus coram Deo obediendum sit, pergraviter moneat. Postea omnes de gremio capituli, coram ipso abbate generali genuflectentes humiliter de consuetis culpis se ipsos incusent. Editaque per eos confessione, abbas ipse generalis generalem absolutionem impertiatur: omnibus postea surgentibus, taciteque sedentibus, brevi allocntione ad votorum regulae ac constitutionum nostrarum observantiam pro viribus promovendam, eos vehementer adhortetur, omnes tum communes totius congregationis, tum particulares locorum benefactores, fratrum orationibus, et prae omnibus pontificem maximum, purpuratos patres, praelatos, orthodoxos principes, catholicae Ecclesiae, religiosorum ordinum, et nostrae congregationis incrementum valde commendet; catalogum quoque eorum, qui triennio praecedente ex nostra congregatione vitam cum morte commutarint, coram omnibus legendum jubebit, ut omnium animae rite expientur, pro quibus etiam postero die, in eodem loco generalis capituli expiatorium sacrificium celebrabitur. Ac demum, si ita patribus placuerit, ipsum generale capitulnm absolutum pronunciabit; et sic data omnibus benedictione, singuli modeste discedant in nomine Domini ac salvatoris nostri Jesu Christi ad propria cito profecturi.

CAPUT XXI.

De religiosorum missione de loco ad locum.

Praelati vix primum, generali capitulo absoluto, ad proprias canonicas ingressi, ibique ab omnibus peramanter excepti capitulum advocent, et in eo abb. generalis epistolas ad capitulum missas legendas jubeant, quibus recitatis, tamquam legitimi praelati cum obsequio reverentiaque apud omnes habeantur. Deinde si qui erunt ad canonicas alias mittendi, missio ejusmodi illis significetur, neque ullus ad canonicam cui designatur abire renuat, secus per carcerem et alias etiam graviores poenas obedientiam ediscat. Quilibet canonicus et conversns cum suis vestibus, congruentique snpellectili mittatur, ne alteri canonicae quae eum excipit, incommodo sit et nihil ipse secum afferat inscio praelato ex cujus canonica discedat. Teneaturque praelatus aut vicarius loci ex quo aliquis discedat inventarium totius supellectilis hujusmodi, quod quisque conficere debebit et praelato sive vicario subscribendum exhibere, cum rebus descriptis conferre, et sic subscriptum praelato loci cui is erit designatus, statim transmittere, qui illud servet, et cum delatis rebus conferat. Qui plus aut minus habentes deprehensi fuerint, quam in inventario habebatur, nisi rationem reddiderint, *voce activa* et *passiva* per annum priventur. Praelati locorum ex quibus canonici vel conversi proficiscuntur viaticam pecuniam suppeditandam curent juxta *taxationem*, quae vario itinerum generi et debitis sumptibus exaequetur. Cum aliquis e canonica ad aliam proficiscitur una cum benedictione faustaque omni precatione, patentes literas a praelato vel ab ejus vicario accipiat, in quibus hoc enuncietur quod nempe *die... ex canonica... cum debita licentia, canonicus vel conversus ...*

discessit ad talem canonicam . . . quas literas loci praelato aut vicario vix pervenerit, porriget. Quilibet vero iter agens quoad habitum, et caetera omnia normis alibi traditis fideliter inhaereat rectoque tramite et modestia quae religiosum hominem addecet, ad propriam canonicam se conferat: si quis a recto tramite deflexerit, semestri claustro det poenam. Hospites nostrae congregationis qui ex obedientia de loco ad locum mittentur, in canonicis nostris cum omni humanitate et charitate excipiantur et habeantur biduo vel triduo, nisi ex justa de causa alicubi immorentur. Solus autem abbas generalis et visitatores tempore visitationum aliquem de canonica ad canonicam (nisi necessitas obsit) transferre possint.

CAPUT XXII.

De ratione congregandi capituli ad gravia canonicarum negotia pertractanda.

Cum canonicarum negotia nullo pacto debeant a praelatis sine consensu suorum capitulorum juxta canonicas sanctiones definiri, praecipimus, ut nullus suarum canonicarum negotia hujusmodi, bonorum nempe immobilium alienationes, permutationes, locationes, gravium litium contestationes, pecuniae et bonorum etiam mobilium magni pretii distractiones, personarum admissionem in canonicam quocumque titulo, et alia sine consensu proprii capituli definire audeat, etiam si in principio anni generale mandatum procurationis ab ipso capitulo receperit. Cum ad negotia tractanda capitulum *conventuale* congregari debebit, campanulae sonitu pro veteri nostrae congregationis consuetudine canonici ad illud excitentur. Ut autem quisque scire possit quando capitulum ad negotia pertractanda et quando alias ob

causas convocabitur, cum negotiis tractandis capitulum congregandum erit, laicus ad id deputatus in principio et in fine sonitus tintinnabulum ipsum aliquanto citius pulsabit, quod indicio sit eos duntaxat evocari, qui in capitulo voti compotes sint (Conc. Trid. Sess. 22. cap. 4.). Quilibet canonicus et professus in sacris, nec *voce activa* et *passiva* privatus eo in capitulo vocem habebit, cujus canonicae actu de familia erit. Conversi autem, quamvis ob aliquam peculiarem causam praelato comprobandam ad capitulum vocari possint, voto tamen seu suffragio in eodem capitulo carebunt. Semel in mense teneantur omnino praelati congregare capitulum *conventuale* audiendis religiosis in iis quae canonicae necessaria aut utilia fuerint, cum, ut diximus, aliis etiam diebus jus praelato sit convocare capitulum, pro ut ipsi visum fuerit. Nullus etiam praelatus aliquem, qui suffragii jure praeditus ad capitulum accedat ex industria et dissimulanter vocare omittat aut in diem differat ipsum capitulum, quando quis canonica absit nec ad capitulum convenire possit; alioquin unus malitiose praetermissus et contemptus actis totius capituli juxta canonicas sanctiones vitiandis satis esse poterit. Ut autem quisque de rebus sibi propositis libere secundum Deum procul ab omni metu humanoque respectu penitus abscisso in capitulo suffragium suum ferat, praecipimus ut posteaquam de re oblata actum in capitulo disceptatumque sit, semper fiat secretum scrutinium hac eadem ratione, etiam si capitulares omnes voce jam in eundem sententiam convenissent. Oblatis unicuique canonico globulis albis et nigris, quorum albi dabuntur ab affirmantibus, nigri vero a negantibus, minor de gremio capituli cum urnula per secretarium praelati antea parata colliget a singulis canonicis proprium suffragium quod quilibet, detecto capite, per se immittet secrete ut nemini pateat:

votis autem omnibus collectis, apertaque urnula coram praelato et tribus senioribus de gremio capituli, enumerabuntur signa tam alba, quam nigra et si duae ex tribus partibus reperiantur, intelligatur nutus affirmativus vel negativus secundum colorem fabarum in rem propositam ab ipso capitulo praestitus.

Ne quis vero plura suffragia immittat, vel aliter fraudes in scrutinia irrepant, enumerentur prius canonici deinde suffragia, et si minor fuerit numerus suffragiorum quam suffragantium et actus alias sit legitimus, ex hoc etiam capite infirmari nequeat cum quilibet jus suum didimittere possit. Quod si suffragiorum numerus *capitularium* numerum excesserit, quamvis ultra duas suffragiorum partes in unum convenerint, nihilominus capitulum irrito habeatur. Hic autem modus deliberandi et definiendi de rebus omnibus in quovis capitulo propositis, ita necessario servandus erit, ut nullus actus sive contractus ad cujus validitatem capituli consessio necessaria erit, in posterum pro valido haberi possit, nisi edito consensu ab ipso capitulo per vota secreta juxta modum praedictum. In gravioribus negotiis dirimendis, cujusmodi sunt alienationes bonorum immobilium, aut venditiones, aut concessiones bonorum in emphyteusim tria capitula distincta habeantur, inter quae biduum saltem pro qualibet vice intercedunt. De rebus in capitulo habitis nullus extra ipsum eloquatur sub poena privationis *vocis activae* et *passivae* per annum. Excipe casus, in quibus ex auctoritate ab ipso capitulo facta deberet quis de iis rebus cum exteris sermonem facere. Vicarius canonicae actus omnes capitulorum in libro perpetuo in canonica asservando et praesertim in archivio, diligenter conscribat ne oblivione intercidant. Immo ut hujus periculum absit, quodvis capitulum *conventuale* semper exordiatur a lectione actuum capituli praecedentis quae a vi-

cario ipso fiat. In capitulo is sit omnibus locus quem insequens caput de sessionibus innuit.

CAPUT XXIII.

De ordine tum in sessionibus tum alibi servando.

Hic in sessionibus atque alibi ordo semper obtineat: principem omnium locum servet abbas generalis, etiam si inter canonicos episcopus habeatur vel archiepiscopus vel patriarcha. Post abbatem generalem subeunt procurator generalis, si abbas fuerit, visitatores per ordinem electionis, deinde professionis ordine, abbates ex generales, abbates de gubernio, abbates sine gubernio, procurator generalis si non abbas, consultores ss. congregationum, praesides, priores, vicarii, praefectus studiorum, lectores, parochi, magistri tyronum et alumnorum, secretarius ordinis, alii omnes ordine etiam professionis incedant, ita ut sacerdotes primum, deinde diaconi, subdiaconi et clerici. Inter fratres commissos ordo professionis valeat, inter oblatos ordo admissionis. Ubicumque alumnorum convictus habeatur, convictores immediate subsequantur canonicos novitios; et fratribus commissis etiam professis, habitus ipsius dignitate praecedant. In qualibet canonica abbas de gubernio praeeat omnibus, praeter abbatem generalem et visitatores provinciae; vicarius omnibus praeter abbatem de gubernio, alium abbatem et procuratorem generalem. Caeteri quoque titulo decernantur, incedant juxta ordinem professionis. In canonica ubi *Dieta* celebratur, servandus est ordo supradictus, statim ac *capitularium* numerus impleatur. Si fuerint in canonica hospites sacerdotes nostroque habitu induti, locum professionis ordine habeant.

CAPUT XXIV.

De congregatione in provincias dividenda.

Congregationem nostram in quatuor esse provincias dividendam decernimus, quarum prior Romanas canonicas amplectatur, altera canonicas in utriusque Siciliae regno sitas, tertia, canonicas Eugubinam, Fanensem, Urbevetanam, Urbinatem, quarta, Bononiensem, Lucensem, Januenses, Ravennatem et Ferrariensem, cujus recipiendae adhuc spes est, comprehendat. Quod si aliae praeterea canonicae, quae temporum injuria deciderunt, Deo ferente redintegrabuntur, pro locorum opportunitate et ipsae distribuentur. Cuique vero provinciarum, dignitates ordinis adtribuendae sunt, habita, quoad fieri liceat, ratione canonicarum, quae pro congregatione oneribus magis premuntur et nobilioribus erga ipsam meritis distinguuntur: qua in re aequitatis legibus omnino obtemperandum sit. Quatuor provinciis quatuor visitatores secundum *respectivam nationem* praeficiantur. Neque obstare volumus quominus visitatores atque definitores canonicae regimen suscipere possint, juxta decretum a s. m. Urbano VIII. lateranensi congregationi jamdiu impertitum.

CAPUT XXV.

De canonicis aedibus acceptandis vel dimittendis,

Nullus praelatus, neque etiam abbas generalis sine peculiari licentia et mandato capituli generalis canonicam aliquam nostrae congregationi oblatam, sive jam exstructam sive exstruendam accipere possit. Si canonica aliqua *abbatiali* titulo decorata accipienda est, id fiat servato *abbatiae* titulo, sicut in litteris Xisti papae IV.

jubetur. Nulla canonica accipiatur, quae religiosos officiis atque oneribus pares, ob fortunae angustias perferre nequeat, et quae opportunum regulae et constitutionibus observandis locum non suppeditet. Ac proinde in id causae servanda omnino erunt quae constitutione Innocenti x. *Instaurandae* praestituta sunt. Haec mature consultissimeque perpendantur, ne species aliqua decipere possit, ne quod incrementum prima fronte videtur, detrimentum postea adducat. Nullus absque licentia abb. generalis beneficium aliquod cum cura vel sine cura alicui canonicae nostrae congregationis adjicere possit. Nullus praelatus, nec etiam abbas generalis, seu alius quicumque de nostra congregatione canonicam aliquam aut ejus partem aut beneficium quovis pacto e congregatione disjungere aut renuntiare, aut alio modo alienare, vel detracta ab altera in alteram canonicam tranferre possit, absque aperta capituli generalis definitione.

CAPUT XXVI.

De constitutionum multitudine ac novitate devitanda.

Cum nihil, experientia teste, humanam societatem magis offendat ac laedat, quam inutilis et superflua legum multitudo atque immutatio, primo quidem statuimus, ut post praesentem constitutionum librum quatuor partibus distributum, nulla nova constitutio invehi possit, nisi toti generali capitulo proposita, matura deliberatione perpensa ac discussa per secretum suffragiorum scrutinium et duabus saltem ex tribus suffragiorum partibus assentientibus, ab ipso generali capitulo comprobata fuerit, et canonica sanctione munita. Decreta vero, quae ad bonum congregationis provehendum variis temporum et rerum opportunitatibus per patres definitores sive in *Die-*

tis sive in capitulis generalibus dabuntur, nisi fuerint in capitulo aliquo generali (sicut praemissum est) canonice sancita cum auctoritate conditorum interire existimentur. Aliae quoque constitutiones sive in generalibus capitulis sive in *Dietis* aliisque conventibus editae et evulgatae, quas praesens liber non complectitur, delentur et abrogantur, ita ut omnes de nostra congregatione ab illarum observantia in posterum absoluti censeantur. Constitutiones autem hoc libro traditas, omnes et singuli de nostra congregatione superiores, canonici et conversi, vi ac virtute sanctae obedientiae integre fideliter retineant, ad unguem observent et observandas curent, condignam amplissimamque promeritis retributionem a Deo et servatore nostro Jesu Christo apud caelestem omnium patriam praestolantes.



DECRETUM

Quod spolia defunctorum canonicorum regularium sanctissimi Salvatoris procurationi generali ejusdem congregationis omnino applicari debeant.

ALEXANDER PAPA VII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM

Alias pro parte tunc existentis abbatis generalis congregationis canonicorum regularium sancti Salvatoris congregationi tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium praepositorum exposito, quod ipse juxta mandatum dictae congregationis cardinalium in capitulo generali praedictae congregationis canonicorum regularium Venetiis anno superiore MDCXLIX celebrato una cum definitoribus Decretum ediderat, quod spolia defunctorum canonicorum regularium congregationis hujusmodi transmitterentur a praelatis localibus ad procuratorem generalem ipsius congregationis, ad effectum solvendi debita cameralia monasteriorum particularium, et his deficientibus publica religionis Romae contracta cum montistis, et censuariis, quodque Decretum hujusmodi ab ipso abbate generali, et definitorio in Dieta eo anno Florentiae habita etiam renovatum, et plenissime confirmatum, ac a multis exacte observatum, et practicatum fuerat; sed nonnulli

Digitized by Google

alii renitentes erant, illique parere recusabant, sub vanis praetextibus, et subterfugiis, allegantes dictum Decretum Constitutionibus apostolicis, ac Decretis praedictae congregationis cardinalium, ac sacris Canonibus adversari licet nihil super ea re producerent. Ideoque pro parte dicti abbatis generalis memoratis cardinalibus supplicato, ut praedicti Decreti observationi opportune providerent, emanavit ab eorumdem cardinalium congregatione Decretum tenoris qui sequitur videlicet: Sacra congregatio etc. inhaerendo resolutionibus alias factis in particulari congregatione pro sublevandis oneribus duodecim congregationum monasticarum praenarratum Decretum a definitorio capituli generalis anno MDCXLIX. Venetiis editum, et nuper in praeterita Dieta innovatum pro satisfaciendis dumtaxat debitis onerum cameralium, ac montistarum, et censuariorum hujusmodi ad particularia monasteria si adsint, sin minus ad commune religionis spectanctibus, et non alias virtute praesentium sanctissimo Domino Nostro annuente approbat, et confirmat, ac ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari, ac ad praedictos usus solummodo applicari mandat, et praecipit sub poena contrafacientibus privationis vocis activae, et passivae praelaturae, et officiorum, necnon perpetuae inhabilitatis ad quaecumque alia obtinenda rehabilitatione eidem sacrae congregationi reservata constitutionibus apostolicis, et ejusdem ordinis, statutis, aliisque quibuscumque in contrarium non obstantibus: In quorum fidem etc. Dat. Romae die XV Julii MDCL. Cum autem sicut dilectus filius Joannes Maria Lancius pro-

Digitized by Google

curator generalis dictae congregationis canonicorum regularium sancti Salvatoris nobis nuper exponi fecit ipse Decretum praeinsertum pro firmiori, et stabiliori illius observatione Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret, nos ipsum Joannem Mariam procuratorem generalem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendarum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis episcoporum, et regularium praepositorum consilio observantiam praeinserti decreti sub poenis in eo contentis auctoritate apostolica tenore praesentium injungimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere ac ab illis ad quos spectat, et pro tempore spectabit inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus,

et ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit praedictae congregationis canonicorum regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habent illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earundem praesentium litterarum, transumptis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die XXVII. septembris MDCLXII. pontificatus nostri anno octavo.

S. UGOLINUS.

Digitized by Google

DECRETUM

Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum consideratis gravibus damnis, quibus obnoxia est congregatio canonicorum regularium sanctissimi Salvatoris propter eorum moram, qui monasteriis praepositi, ratas debitas ad procuratorem generalem transmittere protrahunt, malis hujusmodi prospeotura infrascripta decrevit. Et quidem, cum nuper sanctissimus Dominus Noster paterna providentia super capituli generalis anni praeteriti celebratione dispensaverit, illiusque nedum subsidium, verum etiam quamcumque impensam, nec non taxam capitularem, in publicae capsae subventionem, et cameralium debitorum extinctionem provida charitate applicaverit, praesentis Decreti tenore districte praecipit, ut omnes, et singuli dictae congregationis abbates intra proximum octobris mensem pro rata suo cujusque Monasterio obtingente, integre satisfaciant; alias qui ita non adimpleverit, in poenas statutas contra non solventes debitas taxas eo ipso incurrat. Praeterea ex praedictis abbatibus nullus in capitulo intervenire possit, imo nec ad illud iter arripere. nisi reipsa, et cum effectu contributiones triennales pro suo monasterio ad capsam generalem in urbe integre transmiserit; proindeque antequam capitulum celebretur, pater generalis, et definitores teneantur abbates qui defecerint, declarare

Digitized by Google

incursos in poenas praefatas non solventium taxas, alias ipsimet in easdem poenas, eo ipso incurrant. Ulterius in singulis Dietis quolibet anno celebrari solitis, teneantur definitores sub eisdem praedictis poenis de satisfactione inquirere, et eodem anno ad poenas procedere. Quod ut facilius cognosci, ac fieri possit, teneatur pater procurator generalis suae procureriae, et administrationis libros deferre ad capitulum, et ad quamlibet Dietam transmittere computa capsae publicae, et praesertim abbatum non adimplentium fidelem notulam. Quae omnia ut firmius observentur, eadem sacra congregatio prohibet patri procuratori generali sub poena privationis vocis activae, et passivae, ulli concedat, aut concedi procuret a praemissis solutionibus exemptionem, aut prorogationem. Et ita inconcusse servari jubet, ac praecipit.

Romae hac die XIV. Aprilis 1674.

FR. V. M. URSINUS CARDINALIS S. XISTI PRAEF.

Loco ✠ Sigilli.

S. Archiepisc. Braeantius Episc. Viterbiensis.

DECRETUM

Tandem vero in Congregatione generali Emorum, et Rmorum S. R. E. Cardinalium Negotiis, et Consultationibus Episcoporum, et Regularium praeposita, habita die 2. Aprilis 1841. cum propositae fuerint suprascriptae Constitutiones Canonicorum Regularium SSmi Salvatoris Lateranensium noviter confectae, Emi Patres, referente Emo Polidorio, omnibus sedulo diligenterque perpensis, praefatas Constitutiones, prout in praesenti exemplari habentur, si SSmo Domino placuerit, approbandas esse censuerunt.

Et facta relatione SSmo D. N. Gregorio PP. XVI.

in audientia a Dnō Sub-Secretario habita eadem die, Sanctitas Sua resolutionem S. Congnis ratam habuit, et confirmavit, ac proinde easdem Constitutiones approbavit, et ab omnibus Canonicis Regularibus Dni Salvatoris Lateranensibus observari mandavit.

Card. Fabritius Praef.

F. Archiepiscopus Tarsensis Secrius

INDEX CONSTITUTIONUM

PARS SECUNDA

DE CANONICARUM REGIMINE ATQUE POTESTATE RECTORUM

PARS TERTIA

De poenis vario criminum generi constitutis.

PARS QUARTA

De capitulis et de iis quae ad ipsum spectant.

548973

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google